



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Henrici Canisi, Noviomagi J. C. Commentarivs

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

si pro de rescriptis lib. 6., quod in literis eorum, qui postiores sunt, semper in sit mica salis seu vulgaris clausula, *Nisi pro aliis jam prius rescriptis scripserimus*: Cur etiam ille, cui in pignore prius jus quaesitum est, praecedere debeat alios? Postremo, ut infinitos articulos omitteremus, qui qui duos equos legavit, alterum Titio, alterum Sempronio, Titius meliorem possit eligere, quippe qui primo loco fuit nominatus, *l. Qui duos D. De legatis 1.* Tantam enim temporis majores nostri voluerunt haberi rationem, ut lites & contentiones e medio tollantur.

Sed tamen quia generi, juris dispositione, derogatur per speciem, *l. In toto D. h. i. sit.* ut huiusmodi axiomata seu definitiones dicantur esse periculosa, quod suis definitis seu sub eo contentis ut plurimum adaequate non respondeant, *l. Omnis D. eod. l. 1. D. De furtis.* Nam facile, si ostendatur ratio, cur in hac vel illa specie regula locum habere non debeat, locum cedit ac veluti exceptione repulsa vim & officium suum amittit, *l. 1. in fine D. eod. v. 2.* non obstant eadem regulam, *Qui prior est tempore, sifcus* (quem tamen Trajanus licenti comparabat, quod dum lien intumescebat, caetera membra extenuentur) quia nervus

belli est & pacis, si tantummodo agatur de damno vitando omnibus creditoribus etiam tempore prioribus praefertur, *l. penult. C. de prempilo: ut & mulier in dote, quod expediat Reip. mulieres non esse indotatas*; quae ratio tamquam magis urgens prioritati temporis derogavit. Pari ratione caeteris praepositur, qui mortuum sepelivit, dum repetit impensas funeris, eo quod inter sit Reip. corpora defunctorum non manere insepulta, *l. 1. D. de religiof.* Exiguum nunc restat dubium, si tanta vis & utilitas in Regulis juris sit posita, cur in principio huius operis Pont. illas non expressit, praesertim cum a principiis incipiendum sit. Sed cum singularia sensu sint notiora seu confusa, ut loquatur, notitia, & que liberum fuit Pontifici, non ordinem naturae, sed disciplinae sequi, qui crassiora prius contemplatur. Ut interim non dicamus, quod in praecedentibus decisionibus ad ipsam probationem passim haec axiomata citentur: quae tamen non inutiliter hic repetuntur, partim ut memoria refrenentur ac tenacius inhaereant, partim ut discamus, quod Jus non nascatur ex regulis sed ex Jure prius existente regula trahat originem, ut ait Paulus in *l. 1. D. hoc tit.*

HENRICI CANIS I.

NOVIOMAGI J. C.

COMMENTARIUS

IN TIT. DE REGULIS JURIS LIBRI VI.

DECRETALIIUM.



Ujus Tit. auctor est Bonifacius VIII. Summus Pontifex, quem ideo postremo loco subiecit, ut ea, quae prioribus Titulis sparsim per singulas species tradita sunt, in regulas quasdam, veluti brevissimas notas, conjiceret: imitatus nimirum libros Pandectarum, in quibus & post omnium tractationem, Tit. de Regulis juris ultimus annectitur, tamquam priora omnia in brevissima capita conferens. Unde & Regula à Paulo J. C. *l. 1. D. hoc tit.* ita describitur, *quod rem, qua est, breviter enarrat, non ut ex regula jus sumatur,*

sed ut ex jure, quod est, regula fiat. Per Regulam igitur brevem rerum narrationem in unum coactam intelligimus, ut, quod in singulis rebus juris est, per eam breviter demonstratur. Ut, exempli gratia, cum alibi traditum esset, Perjurum ad dicendum, testimonium minime admittendum esse, propter suspicionem perjurii, *cap. Testimonium 54. ibi, praterquam pro reatu perjurii. De testib. juncto can. Parvuli 221, qu. 5. C. can. Non potest 1, quast. 7.* item marito saevienti non esse facile restituendam uxorem ab eo digressam, propter metum saevitiae, *cap. Litteras 13. in fine De restitut. spoliator. item semel negligentem non posse rem rursus iterum committi, cap. Scribam 9.*

De *presumpt* Bonifacius hujus Tit auctor, occasionem sumpsit hujus Regule eondendæ, *Semel malus semper presumitur esse malus, cap. Semel malus in h. e. Idem in aliis Regulis accidit.*

Quæ tamen eò non dicuntur, quasi Regula sit nuda tantum narratio seu coniectio multarum rerum, ita quòd nulla inde juris decisio depro-mi possit; sed ut ostendatur, Regulam ex constituto iure, tamquam ex præexistenti (ut ita loquar) materia sua, non verò e contra, jus ex regula natum & profectum esse, *Glos ad d. l. 1, D. hoc tit.* Nec enim negatur, eam ad alias species iure non expressas traduci posse. Imò rectè ad has regulas confugitur, quod multorum iurium, ex quibus desumptæ sunt, apertam sententiam exprimant, quæ æquè valere debet in casibus non decis, ob eandem æquitatem, *l. Illud quasitum 31, in princ. D. Ad L. Aquil.* Non possunt, inquit Julianus, omnes articuli sigillatim aut legibus, aut Senatusconsultis comprehendere; sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet, *text est in l. Non possunt 12, cum l. seqq. D. De legib. cap. Inter ceteros 4. D. Descript. cap. 2, circa med. De translat. Episc.* Quare cum multi variique casus quotidie incidere soleant, qui disertis verbis à jure decis non sunt, licebit in hac multitudine & varietate rerum ad has iuris regulas, tamquam ad communia quædam capita recurrere. Est enim hic Tit. veluti penus quædam, in qua rotius quasi juris thesaurus delitescit; adeoque viam aperit de quavis causa confestim, & ex tempore respondendi. *Videntur*

*eleganter D. Peckius Præceptor olim meus observandus ad Rubr. hujus tit. Panoim ad Rubr. & eod. Neque enim assentiendum est Jacobo Cujacio in Posthumo, qui ejus nomine circumferretur, afferenti ex regula levia & perniciofa argumenta deduci, ad d. l. 1, in fine h. e. quod duobus allatis exemplis ita comprobatur. Regula est, inquit, Invito beneficium non datur; At libertas beneficium est, & tamen invito datur, *l. ult. C. De testam. manumif.* Item Regula est, Deteriorem conditionem per servum fieri non posse, *l. Melior D. De R. I.* Sed servus delinquendo potest; quia dominus servum noxæ dedere cogitur, *l. 1, §. quob. igitur D. De vi & vi arm.* Sed non videt ipse, nos eo casu non loqui, ubi contra regulam expressum jus urget, ut in exemplis ab eo allatis, aut aperta ratio contrarium evincit; quibus casibus officium suum perdit regula, ut utar verbis *d. l. 1, D. h. tit.* Verum loquimur in casu non deciso à jure, aut ubi ratio, quæ diversum suadet, nulla subest, cur à regula discedendum sit. Hinc Glosa nostra hic ad rubr. circa fin. Potior est ejus causa, inquit, pro quo facit regula; habet enim adversarius ostendere rationem, quare in illo casu regula non loquatur. Et hæc ita esse, convincit vel secunda Reg. *D. Famina* inquit Ulpianus, *ab omnibus officii civilibus & publicis remota sunt, & idè nec iudices esse possunt, nec Magistratum gerere, &c.* Nonne ex præmissa regula, *Famina ab omnibus officii civilibus & publicis remota sunt,* infert aperte Ulpianus, eas nec Judices esse posse, nec Magistratum gerere? Cæterum ipsas Regulas ex ordine, & quantum fieri potest brevissimè, explicemus*

REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.

Beneficium Ecclesiasticum est jus percipiendi redditus sive obventiones Ecclesiasticas, quale habent Episcopi, Abbates, Decani, Præpositi, Parochi, Canonici, alique Clerici divinis ministeriis sive officiis adscripti, *cap. 1, §. De maloticis, c. Quanto 7, De offic. iud. ord. cap. Ad decorem 5, De institut.* Institutio verò Canonica dicitur receptio ad ipsum beneficium Ecclesiasticum, juxta præscriptum sacrorum Canonum; veluti, quæ sit per legitimam electionem vel postulationem & confirmationem; per collatio-

nem simplicem, sive ad præsentationem patroni Ecclesiæ sive Ecclesiastici beneficii. Hæc enim nomine institutionis canonice veniunt, ut toto tit. *De institut. cap. 4, cap. 6, De his qua. sunt à Pral. c. Cum Ecclesia 31, De elect.* Ex quibus consequens est, eum, qui aliter ad beneficium Ecclesiasticum electus est, vel quia non servat à formam electionis, *de qua in c. Quia propter 42, De elect. c. Cum expediat 29, eod. in 6,* vel ab eo electus est, cui eligendi jus non erat, *c. Messana 56, cap. Sacrosancta 51, De elect. cap. 8, De conjur. vel simoniacè, cap. 2, De simonia*

simonia in Extravag. commun. vel aliter indignus electus, cap. Quamquam 18, De elect. in 6, non possit dici canonice institutum. Similiter qui obtinuit à laico Ecclesiam vel Ecclesiasticum beneficium (etiam si laicus ejusdem Ecclesie vel beneficii patronus sit) absque auctoritate Episcopi, vel alterius Superioris, cap. 4, cap. 8, cap. 10, & 15, De jure patron. siue alicui collatum est beneficium nondum vacans, c. 9, De concess. praben. vel si ipse, cui collatum est, laicus, cap. 2, De institut. cap. Cum aded 17, De rescript. vel Clericus conjugatus sit, cap. 5, De cler. conjug. Nam hi omnes canonice institui non possunt, ut jam ad. jurib. Hujus Regule rationem reddit D. Peckius hic, quod in Ecclesiam Dei non debet alius esse ingressus, quam per ostium, cujus claves præfectis Ecclesiarum committuntur, qui eisdem clavibus & Canonice regulis instituendos in eandem Ecclesiam Dei intramittunt. Nam & huc spectat Innocentii IV. Constitutio in Concilio Lugdunensi, quâ duobus de dignitate, personatu vel alio beneficio Ecclesiastico contententibus, & altero per contumaciam absente, prohibet missionem fieri in possessionem beneficii, causâ rei servandâ (quæ alioqui solet fieri in aliis causis, ubi reus ante litem contestationem contumaciter abest), cap. 3, cap. 5, §. in aliis Vt lite non contest. sed titulus, quo nititur actor, præsens examinari debet; idque ut vitetur ingressus vitiosus in beneficium, hoc est, qui absque titulo est, siue canonica institutione, cap. unico de eo qui mittitur in possess. Quare & qui longo tempore beneficium

possedit absque institutione canonica, se defendere non poterit temporis præscriptione; cum id quod ab initio nullum est, tractu temporis non convalescat, cap. Non firmatur, & ibi latius dicimus inf. eod.

Cui certè adversari videtur textus in cap. Cura II, De jure patron. Quo loco Ecclesia à laicis acceptæ præscriptione acquiritur per Clericum, quasi nullo titulo præcedenti. Textus verba hæc sunt: Mandamus, quatenus ex donatione laicorum, nisi auctoritas Diocesani Episcopi & consensus adsit, nullus vestrum aliquas sibi Ecclesias vindicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas; nisi legitimâ fuerit præscriptione munitus, aut Diocesani Episcopi habuerit potestatem consensus. Ex quibus verbis constat, donationem Ecclesiarum à laicis factam tunc valere, si auctoritas & consensus Episcopi intervenerit, aut ex post facto consensus ejus accesserit; aut si Clericus legitimâ præscriptione munitus sit. Sed responderetur, eam legitimam præscriptionem in d. cap. Cura intelligi, quæ & bonæ fidei est; malæ enim possessor numquam præscribit, ut reg. seq. ubi & dicam latius. Unde constituendum est, textum eâ specie loqui, quando possessor bonæ fidei est hoc est, quando credit Episcopum (qui suæ dioceseos curam & inspectionem gerit) connivere, & quasi videntibus oculis dissimulare donationem Clerico à laico factam, & subsequenter consensum suum, licet tacitum, accommodasse, qui loco tituli est, vide Glos. & Panorm. ad d. c. Cura, & qua habet Covarr. ad cap. Possessor in 2, p. Relect. §. 10, n. 1, inf. hoc tit.

REGULA II.

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.

Hæc Regula desumpta est ex cap. 5, c. 17 in fine cap. 19, in fine & cap. fin. De præscript. Est autem Præscribere rem aliquam acquirere per continuationem possessionis temporis à jure definiti, ut liquet ex tit. Decretal. De præscript. & in 6, extit. C. De præscript. lo. gi. temp. cum aliquot tit. seqq. Vide latius in Summa nostra sub tit. De exceptionib. Ut autem præscriptioni locus sit, requirit hæc Regula nostra, ut possessor bonæ, non malæ fidei sit, hoc est, quod existimet rem, quam possidet, suam, non alienam esse; nam fidem hic pro conscientia accipimus, c. fin. De præ-

script. can. Si virgo xxxiv. quest. 2, l. Bona fidei 109, D. De verb. signif. Et ratio Regulæ est, quia is, qui malæ fidei est, peccat ex D. Pauli sententia, dum id quod ex fide non est, peccatum esse asserit, ad Rom. 14, in fine, juncto §. illud circa med. de panit. dist. 3, nec minus in præceptum Decalogi incidit, quo alienæ rei votum siue affectatio interdicta est, præcepti uli Decal. Non domum, ison agrum. &c. Non igitur malæ fidei possessor præscribit, quare totumque etiam tempore, licet immemoriali, possideat, cap. 5, & c. fin. De præscript. cum ratio sunt graviora peccata, inquit alibi textus, quanto

quantò diutius infelicem animam decinent alligatam, cap. fin. De consuetud. cap. penult. De consang. Et hæc adeo obrinent, ut necesse sit, non tantum in initio præscriptionis bonam fidem possessorem habuisse, verum etiam in progressu & toto præscriptionis tempore; ob eandem rationem, & per textum in d. cap. fin. De præscript. Quamvis aliud iure civili receptum sit, quo sufficit à principio bonam fidem habuisse, non autem ea necessaria est ad perficiendam sive complendam præscriptionem, l. unica C. De usucap. transform. l. Si aliena o. in princ. D. De usurp. & usucap. §. diuina Inst. De usucap. Sed hoc iure non utimur, propter peccatum, quod provenit ex conscientia rei alienæ; cum generaliter, ait Innocentius III. in generali Concilio Lateranensi, sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ obsequæ mortali peccato non potest observari, d. cap. fin. De præscript. Vchinc in Camera Imperiali hæc Regula nostra in multis præiudiciis comprobata sit, contra ius civile, teste And. Gail. lib. 2, Obs. 18, n. 7.

Ab hæc tamen Regula excipitur casus in cap. 1, de præscript. ubi Episcopus contra alium Episco-

pum triennio præscribit locum à se conversum ad Catholicam unitatem; cum tamen non ignoret eum esse alterius. Verum id fit auctoritate sacrorum Canonum, quibus cum omnes Ecclesie subjectæ sint, & ab iis certam legem accipiunt, id certè, constituere potuerunt, ut res unius Ecclesie alteri ex iusta causa acquiri possit. Itaque rei alienæ fidem sustinent hoc casu sacri Canones in favorem Catholicæ religionis.

Quâ ratione etiam hoc iure rectè defendi poterunt præscriptiones earum rerum, quæ ob non solum vici gal, vel aliud delictum, in commissum ceciderunt, etiam si is, qui possidet, intelligat eas ad fiscum spectare. l. 2, C. De veltig. & commiss. cap. Cum secundum 19, De heret. lib. 6, Quid enim prohibet Principem rebus in fiscum factum illatis vel inferendis propter delictum, hæc præscriptionem imponere? aut penam, quam ipse statuit, certo modo abolere? nisi de contraria eius mente aliunde constaret, ut in specie cap. 2, De præscript. lib. 6, quâ in bonis hereticorum bona fides requiritur, quia id disertè ca- verit ibidem S. Pontifex.

REGULA III.

Sine possessione præscriptio non procedit.

DEducta videtur hæc Regula ex cap. Cassiam 7, de præscript. ex cap. 2, in fine De probationib. Cui similis extat textus in l. Sine possessione 25, D. De usurp. & usucap.

Hæc itaque Regula docemur, possessionem placè necessariam esse ad præscriptionem, non tantum inchoandam, verum etiam eandem continuandam & perficiendam. Si enim medio tempore, id est, ante completam præscriptionem, possessio interrupta fuerit, cessat præscriptio, cap. Illud 8, & Auditis 15, de præscript. l. Naturaliter §. D. De usurp. & usucap. Quod duobus modis contingere potest; aut naturaliter, aut civiliter. Naturaliter, cum quis de possessione sua videtur, vel possessori res mobilis eripitur, d. l. Naturaliter. Item si res à mari vel à flumine occupetur, l. 3, §. Labecol. Pomponias 13, in princ. D. De acquir. vel amitt. poss. Civiliter, hoc est, iuris civilis auctoritate, cum possessor in ius vocatur, vel cum eo litis contestatio fit. Nam per solam etiam citationem interruptitur præscriptio xxx. annorum, l. 3, & l. Cum notissimi 7, in princ. C. De præ-

script. 30, vel 40, annor. per litis verò contestationem ea, quæ longi temporis est l. Mora 26, C. De rei vindic. Præscriptio verò triennis neque citatione, neque litis contestatione impeditur, licet cepto iudicio sine effecta currat, l. Si poss. acceptam 18, D. De rei vind. l. 2, §. D. Pro emptore; exceptis quatuor casibus qui alibi recensentur, in l. 2, C. De annali except. adde. Glos. & d. ad d. cap. Illud & Balbum in tract. suo de præscript.

Is autem possidere dicitur, qui alicui rei suo nomine insitit, l. 1, in princ. D. De acq. vel amitt. poss. idque etiam solo animo: nam licet ad acquirendam possessionem corpus & animus simul requirantur, l. 3, in princ. & l. Quæ admodum 8, D. in d. tit. ad possessionem tamen retinendam sufficit vel solus animus, veluti in eo, qui peregrinè profectus, res suas domi reliquit, retinet enim hic animo possessionem, l. Clam 6, §. qui ad nudatas l. Si quis ad 25, §. fin. & d. l. 3, §. in amittenda D. d. tit. §. possidere Inst. De interd. Addidi, suo nomine. Et enim colonus, inquilinus, procurator, depositarius, commodatarius & similes, idè posside-

dere non dicuntur, quod non suo, sed alieno nomine in possessione sint, d. §. Possidere, l. fin. C. De acquir. poss. l. 1. C. Si per vim vel alio modo, l. Quod meo 18. D. De acquir. vel amitt. poss. ac proinde non præscribunt, l. 2. l. 7 in fine C. De præscript. 30. vel 40. annorum.

Porro verbum, *insistentis*, in hac materia etiam ad res incorporales referri debet; ut sunt, actiones & jus decimandi, eligendi, conferendi beneficia Ecclesiastica, aliaque hujusmodi incorporalia, quæ & possideri (licet improprie) & præscribi dicuntur, cap. Ad auras 6. c. De quarta 4. cum similib. De præscript. c. 1. & c. 2. in 6. eodem tit. c. 2. De causa poss. & propriet. c. Cum Ecclesia 31. De elect. l. 1. & l. 2. C. De servitut. l. 1. in fine C. De præscript. longi temp. cum similib.

Illud, quod antè diximus, de continuatione possessionis, non tantum locum habet in eodem possessore, verum etiam in ejus successore, si ve is universalis sit, veluti hæres, si ve singularis, ut emptor, legatarius, aut similis, §. dicitur cum §. seq. Instit. De usucap. d. l. Pomponius 13. §. sed & legatario D. De acquir. vel amitt. poss. dummodò persona media non intercesserit, quæ continuationem interrumpit, d. l. 13. §. Quæstio. Quin & præscriptio à defuncto coepta, ante hæreditatis aditionem rectè impletur, l. Coeptam 40. D. De usucap. eò quòd hæreditas, antequam adatur, personam defuncti sustineat, l. Hæres 22. D. jam d. tit. l. Hæreditas 34. D. De acquir. rer. dom. Unde & vacuum tempus ante hæreditatis aditionem & naturam possessionem, prodest hæredi non possidenti, ad complendam præscriptionem, l. Numquam 31. §. vacuum D. De usucap.

Non obstat textus l. Rerum mixtura 30. §. Labeo D. De usucap. & usucap. quo ait, Labeo: Si u, qui ad regularum vel columnarum usucapionem decem dies super-

essent, in aedificum eas onjecisset, nihilominus eum usucapturum si aedificum possidisset. At ex Javoleo constat, singulas aedium partes non possideri, sed ipsas aedes, in l. Cum qui 23. D. eod. tit. De usucap. Quæ ergò ratio in hoc exemplo usucap. procedit abique possessione? Respondet Bartol, ad d. §. Labeo, hoc singulare esse in responso Labeonis, propter modicum tempus, quod superest ad complendam usucapionem. Verum hæc responsio, cum mera conjectura sit, & pugnet cum l. Omnibus 15. & qua ibi notant DD. D. De diversis & temporal. præscr. puto rectius nos posse dicere, regulas & columnas per se possideri, licet aedificum implicatæ sint; siquidem mobiles & per se permanent in aedificio, ut in annulo & gemma, in quo verum est, aurum & gemmam possideri & uti capi, cum utrumque maneat integrum, d. §. Labeo vers. quid ergo. Hinc columnæ alienis aedibus junctæ vindicari potest à domino, d. l. Cum qui vers. fin. autem columna. Diversum est in lignis & lapidibus, quæ cum universitate domus possidentur & usucapiuntur, nec eos vindicari permittitur, §. cum in suo Inst. de rer. divis. Nec movet, quòd in actionibus aliisque juribus incorporalibus nulla possessio datur, l. sequitur 4. §. si viam D. d. tit. l. Servus 43. §. incorporales D. De acquir. rer. dom. & tamen usucapi si ve præscribi dicantur, l. l. 2. De servitutib. & aq. l. Si quis diuturno 0. D. Si servus vind. l. fin. C. De præscript. longi temp. l. 4. C. De præscript. 30. vel 40. annor. cap. 1. De præscript. in 6. quia id verum est, si de possessione proprie dicta loquamur, quæ tantum est rerum corporalium: at cum rerum incorporalium quasi possessio sit, cap. 3. De causa poss. & propriet. c. Si diligenti 7. De præscript. d. l. Si quis diuturno & l. penult. D. De servitutib. ad similitudinem corporalium, etiam hæc quasi usucapiuntur si ve præscribuntur, d. l. 1. C. De servitutib. cum aliis sup. alleg.

REGULA IV.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

Sententia D. Augustini est, ex Decretalibus, ubi extat, in cap. Cum tu 5. De usur. hæc traducta. Esque pertinet non solum ad res furto vel vi ablatas, sed etiam ad damnum dolo vel culpa datum, cap. fin. De injuriis, can. Si quis de Clericis xli. quæst. 2. cum his casibus ablata dicatur ipsius rei commoditas, l. Cum Prator 81. D. De verb. sig. nis.

Quare etiam Judex, qui pretio vel precibus ductus, aut per imperitiam malè judicavit, hæc regulam continebitur, per text. in l. fin. C. De poena jud. qui malè judic. l. fin. D. De variis & extraord. cogn. sicut & is, qui alium sine iusta causa vulneravit; nam & hic ad restitutionem damni tenetur, id est, ad expensas in curatione vulneris factas, operasque, quibus curavit cariturusve est,

Z z z

quòd

quod inutiles factus sit, l. 2. D. Si quadrupes paup. fec. die. Et l. fin. D. De his qui de jacer. Non enim debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. Non debet 7. D. De reg. jur. & factum cuique laum, non alteri nocere debet, l. Factum 155. D. eod.

Quare & hoc jure receptum est, ut hæres ex delicto defuncti conveniri possit ad restitutionem damni a defuncto illati, ut eod. citius peccatum defuncti expietur, et fin. De sepulch. cap. in literis 5. De raptorib. contra sententiam juris civilis, quo hæres ex delicto defuncti non convenitur, nisi aliquid ex delicto ad eum pervenerit, ne alieno scelere discedat hæres, l. unica C. Ex delict. defuncti & non autem l. De perpet. Et temp. actio.

Itaque certa juris regula est, Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum; videlicet, idem restituendo aut ejus estimationem, res ablata non extet: ad eod. etiam si res ipsa sine culpa auferentis perierit; cum semper fur in mora restituendi intelligatur, l. fin. D. De condict. furt. Mora autem sua cuilibet nociva est, c. Mora in eod.

Sed quid, si solvendo non sit? Parcitur ei propter inopiam, can. Si res xlv. quæst. 6. Et cap. Cum tu 5. De usur. donec ad meliorem fortunam pervenerit, cap. Odoarius 2. De solut. facit. l. Si debitoribus 7. D. De cessione bon. Quid si res ablata illi donata, aut dampnum ab adversario remissum sit? Licet sint qui remissionem non valere contendunt, propter expressa hujus Regule verba, quæ tantum resti-

tutionis meminit, arg. l. Non aliter D. De leg. 3. & quod alibi de restitutione usurum constitutum est, in cap. Debitoribus 6. cum cap. seq. De iurejur. verum tamen est, remissionem valere; quia nihil interest, solvatur creditori à debitore, an voluntate ejus aliter satisfiat, l. Solutionis 176. D. De verb. sig. nif. l. Solvitur 5. cum l. seq. D. Quib. mod. pig. vel hypoth. sol. Nisi quibus casibus jus reuilit remissioni, ut in cap. Statutum 11 §. insuper, juncto §. penult. De script. lib. 6. Et in c. fin. De censib. eod. lib. 6.

Cæterum huic obviare videtur textus in c. Officiis 9. De penitentis & remiss. quo receptum est à S. Pontifice, eam mulierem, quæ falsum partum sibi subjecit, aut ex adultero concepit, eo animo, ut mariti sui bona ad eum tamquam ad verum filium, exclusis legitimis hæredibus, pervenirent, nihilominus ad penitentiam Sacramentum admittendam esse: dimittitur igitur mulieri peccatum, quæ non restituit. Verum hic singularis ratio subest, videlicet, metus mariti, si ipsi rem proderet mulier. Timebat enim (ut ipse textus indicat) si maritus resciret, vel mortem, vel lethale in se odium mariti; non quod restitutum jus succedendi non cuperet legitimis hæredibus mariti. Quare in casu proposito mulieris factum sustinetur vitandi majoris mali causâ, iuxta illud ab omnibus jactatum, Ex duobus malis minus eligendum est, ex can. Duo mala dist. 13. Vide de hoc casu latius Navarrum in Manuali c. 16. nu. 43 cum seq.

REGULA V.

Peccati venia non datur nisi correcto.

Regula plana est, si per correctum accipiamus contritum ad saniores mentem reversum; non verò punitum, ut quidam perperam interpretantur. Quæ enim delinquenti gratia fit, si is penam à jure constitutam jam subiit? Sumpta videtur Regula ex cap. unico De schismaticis lib. 6. Cujus & insignis locus extat in can. Legatur xxiv. quæst. 1.

Non tamen inde concludendum est, cuilibet corrigenti se veniam dandam esse in foro exteriori, contra textum in l. Quia mente 6. D. De furt. id enim Reipubl. perniciosum esset, cui expedit puniri, l. Licetatio 9 §. quod illicitè D. De publican. l. Ita vulneratus 51. circa fin. D. Ad leg. Aquil. sed si quando delinquenti ignoscitur convenit, id fiat dolenti de admisso, ut in l. Mansuetus 4. vers. delicti C.

De hæreticis. Itaque usus hujus Regule & in foro conscientie certatur. Novit, inquit Ambrosius, citatus in Decreto Gratiani can. Novit de penit. dist. 1. Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Sed audiamus, quid de perseverantibus in peccato Gregorius dixerat: Voluissent, ait ipse, iniqui si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Extat in can. Voluissent dist. 1.

Neque movet textus in cap. Quod quidam s. De penit. & remiss. quo jubetur eorum confessio recipi, qui negant se à peccatis abstinere posse. Non enim idcirco peccatum illis dimittitur, sed exte-

nus ad confessionem admittuntur, quod speret Confessarii tandem eos ad veram poenitentiam Ecclesia crebris & salutaribus admonitionibus redituros.

REGULA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

Similis Regula est in l. *Impossibile* 18 §. D. eod. *tit. Desumpta* videtur ex c. *fin. De pact. & c. fin. De conditionib. appof. ex c. 1. De iurejur. lib. 6.* Et locum habet non tantum si impossibile in obligationem deducatur, veluti, Hodie Romæ dabis? cum uterque Ingolstadtii sit: verum etiam si id, quod impossibile est, promittatur sub conditione impossibili, ut in exemplo Justiniani: Si cælum terigero, dare spondes? §. *si impossibile* Inst. *De inutil. stipulat.* Prioris hæc ratio est, quod omnis obligatio aut in dando, aut in faciendo consistat, l. 2. in princ. D. *De verb. oblig.* sed quod non est, aut esse, si fieri non potest, frustra petitur. Non igitur ejus obligatio ulla oriri potest. Quæ ratio eadem militat, etiam si ignoraverint contrahentes rem impossibilem in obligationem deduxisse: non enim opinione nostrâ rei natura vel immutatur vel nova constituitur. Posterioris rationem hæc tradit Martianus Jurisc. quia in ea re, inquit, quæ ex duorum plurimumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum proculdubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciant esse impossibilem. Hæc Martianus in l. *Non solum* 30. D. *De act. & obligat.* Itaque, appositâ conditione impossibili, videntur contrahentes non seriò, sed jocose egisse. Impossibilitas verò duplici ex capite oriri solet; aut quia natura impedimento est, ut in suprâ allatis & similibus exemplis: aut quia jus vel boni mores vetant, l. *Continuus* 137 §. *illud inspicendum*, juncto §. *cum quis* D. *De verb. oblig.* veluti, rem sacram vel religiosam dari, & cum quis: aut si fortis vel alterius delicti nomine promissio fiat, l. *Si plagis* 123. *De verb. oblig.* aut si hæredis institutio aut legatum à testatore ita relictum sit, si parentibus alimenta non præstiterit, si ab hostibus patrem non redemerit, l. *Conditiones* 9 D. *De condit. institut.* Quæ facta, inquit eleganter Papinianus, lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt,

nec facere nos posse credendum est, *text. in l. Filius* 15 D. *De condit. inst. junge & l. Neos Proculo* 125 D. *De verb. signif.* Sed hoc interest inter condiciones impossibiles, quæ ultimis voluntatibus adjiciuntur, & quæ contractibus, quod illæ institutionibus, legatis, fideicommissis adjunctæ, pro non scriptis habeantur, in favorem ultimæ voluntatis, l. 1. & l. *Conditiones* 9 D. *De condit. instit.* siquidem in testamentis plenior interpretatio adhibetur, l. *In testamentis* 12. D. *De R. l.* cum non facile credendum sit, aliquem testamento suo aliquid adjecisse ad impugnandum idem judicium suum, l. 3. D. *De testamento inst.* In contractibus verò impossibile conditiones adjunctæ infirmant ipsum contractum, cum contractus non eamdem benignitatis interpretationem à jure recipiant, utpote minus favorabiles, c. *Cum dilecti* 6. in fine *De donat.* Excepto matrimonio, cui si turpis vel alia conditio impossibilis adjiciatur habetur ea pro non adjuncta, & matrimonium purè contractum intelligitur: idque in favorem ipsius matrimonii. Nisi forte adjuncta conditio esset contra substantiam matrimonii; puta si alter contrahentium dixerit: *Contraho tecum, si generationem proles evitaveris; vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiolem; aut si pro quæstu adulterandam te tradideris.* Etenim hæc conditiones matrimonio prorsus adversantur, *per text. in cap. fin. De con. tit. appof. de quo aliter disputat* D. *Peckius hic sub num. 10. in fine & num. seq.* Ubi tamen testator conditionem impossibilem possibilem existimavit, legatum vel fideicommissum non valebit l. *Servo manumisso* 58 D. *De condit. inst.* cum in testamentis voluntatem testatoris ante omnia spectemus, l. *Fideicommissa* 11 §. *item si quis*, l. *Non aliter* 69 D. *De legatis* 3. In certis autem nullus est conjecturæ locus, l. *Continuus* 137 §. 2. in fine D. *De verb. oblig.* Quod & in contractibus retinendum est, l. *Semper in contractibus* D. *De R. l.* Vide ad Reg. *Inspicimus* 46. *infr. à eod.*

REGULA VII.

Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

EXempla hujus Regulæ extant in cap. 2. Extrav. De auctorit. & usu pallii. in cap. Mandata 6. De præsumpt. in cap. Sanè De privileg. Est autem privilegium, privata quædam lex, can. Privilegia dist. 5. ut & nominis ætymologia indicat. Paulo J. C. jus singulare est, eò quòd contrariationem juris communis concedatur, l. ius singulare 16. D. De legib. Et quidem si in gratiam personæ ejusque tantum prospectu, personale privilegium dicitur: si respectu rei vel causæ, reale, sicut videre est in l. 1. D. De censib. in l. Privilegia 196. D. De R. I. Igitur personale privilegium personæ coheret, & cum eadem extinguitur, per hanc reg. non aliter quàm usufructus, qui & ideo personalis dicitur, §. finitur Inst. De usufruct. Ceterum juvat hanc Regulam juris civilis exemplis illustrare. Ecce maritus dotis nomine vel aliter conventus ab uxore, & e contra uxor à marito, item socius universorum bonorum, vel etiam unius rei, parens, patronus, patrona, liberique eorum & parentes, donator, miles, eatenus condemnatur, quatenus facere possunt, l. Sunt qui 16. cum aliquot l. seq. D. De rejudic. Junge Et Maritus 54. D. Sol. matrim. Vel licet, ne egeant, l. In condemnatione 173. D. hoc tit. §. præterea Inst. De action. At hoc beneficium, cum personale sit, non producit ad fidejussores ipsorum vel hæredes, l. Maritum 12. cum l. seq. D. Sol. matrim. l. Verum 61. circa princ. D. Pro socio, Et si fidejussor. 24. cum l. seq. De rejud. Exceptis tamen filius mulieris, qui patri hæredes extiterunt, quibus idem beneficium à jure communicatur, ut scilicet & hi

non nisi in id quod facere possunt, condemnentur, l. Etiam 18. D. Sol. matrim. Nec mirum; si enim id receptum est inter socios, propter jus quoddam fraternitatis, quod inter locios intercedit, profectò multò magis recipiendum est inter matrem & filios, propter jus necessitudinis naturalis, d. l. Verum. Sic privilegium immunitatis personæ concessum, cum eadem expirat, l. 3. in fine D. De censib. & de non solvendo veterali de rebus suis, ad emptorem earumdem rerum non pertingit, l. Licitatio 9. §. fin. D. De publican. vide ibi d. Hujus Regulæ ratio ex eo percipitur, quod dici solet, Cessante causâ, id est, personâ, quæ causa sui privilegii, cessat quoque effectus, id est, ipsum privilegium, ex cap. Cum cessante in princ. De appellat. Et quod alibi elegenter tradit Paulus J. C. in omnibus, inquit, causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat, l. In omnibus 68. D. hoc tit.

Hinc Regulæ objicitur beneficium restitutionis in integrum, & §. C. Vellejanis; quod licet personale sit, tamen ad hæredes transit, l. Non solum 6. D. De in integr. restit. Et l. Hæredes 20. C. Ad SC. Vellejan. Sed respondetur, utrumque hoc beneficium non esse merè personale, sed & rei nomine concedi propter rationem, l. 1. D. De in integr. restit. l. 1. D. Ad SC. Vellejan. l. Exceptiones 7. D. De except. unde utrumque ad hæredes rectè transiit, d. l. 3. in fine Et d. l. Privilegia.

REGULA VIII.

¶ Semel malus semper præsumitur esse malus.

Hujus Regulæ supra meminimus, ad rubricam hujus tituli. Intellige autem hanc Regulam de eodem genere mali. Nec enim is, qui semel adulter est, statim homicida, fur, vel alio crimine obstrictus præsumi debet, præcipue si de vitis oppositis agatur; veluti sunt, avaritia & prodigalitas, audacia & timiditas, sive nimia animi abjectio. Unde quod aliâ juris Regulâ dicitur, *Defectat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus*, ad ipsa peccata referendum non est, sed, in-

terprete Innoc. II. quantum ad vitam æternam. Sicut enim, si peccatis omnibus esset involutus, ita si in uno tantum maneat, æterna vitæ janua non intrabit, in c. fin. de poenit. dist. 5.

Et cum hæc Regula solâ juris præsumptione nitatur, facile refellitur adhibita probatione in contrarium, comprobando scilicet, eum, qui semel malus fuit, se emendasse, iustoque dolore peccatum suum eluisse: ulterius enim malus dici non debet, can. Errum cum can. seq. dist. 50. Exce-

Excepto perjurio, cui etiam post emendationem amplius non creditur, *cap. Testimonium* § 4, *De testib. Ratio* hujus Regulae est, quod animi mutatio non praesumatur: cum mutata sit quid facti, & idcirco probandum est, *l. 2. D. De jur. Et facti* ignor. E contra is, qui semel bonus fuit, semper praesumitur bonus, *cap. Mandato* 6, *De praescript. ob eandem* rationem. Huc spectat responsum Me-

nandri J. C. in *l. Non omnes* § 5, *A barbaris* D. *Dere milit. A barbaris*, inquit, remissos milites ita restitui oportere Et Adrianus rescripsit, si probabunt se captos evasisse, non transfugisse; sed hoc licet liquado constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est, & si bonus miles antea ascriptus fuit, prope est, ut ejus affirmationi credatur: si remansor, aut negligens suorum, aut segnis, aut extra contubernium agens, non credetur ei.

REGULA IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum,

Hæc Regula desumpta est ex *cap. pensul. De sent. excomm. lib. 6*, *Convenit cum l. Si pupilli* 6, § 5, *sed si ego* D. *De negotiis gest.*

Ratum autem habere dicimur, cum approbamus, quod nostro nomine gestum est, *l. Quo enim* 12, *in princ. D. Ratam rem haberi*. Quod enim nostro nomine actum non est, ratum habere non possumus, quoad hunc effectum, ut nostrum fiat, *juxta hanc regulam*. Pingamus Titium comparasse ædes à Sempronio, et alium contractum cum eo iniivisse, nullâ aliâ, quam utriusque contrahentium contemplatione: profecto fieri non potest, ut ego ratum habendo factum ipsius Titii, obligatum habeam Sempronium; propterea quod contrahentes se invicem tantum obligare voluerint, *per text. in d. l. Si pupilli* 6, § 1, *D. De negot. gest. in l. Servus* 13, *D. De precario, junctâ l. Non omnis* 9, *D. Si cert. per.* At si mei contemplatione contractus celebratus fuerit, jam rati habitatione meâ quodammodo meus contractus fit, eò quod Sempronius

non Titium, sed me obligatum sibi voluerit, ex subsequenti rati habitatione meâ, *juxta reg. seq. Et quâ ibi dicuntur.*

Cæterum obtinuit quoad facturam rei meæ vel alterius, me ratum habere posse, etiam quod meo nomine gestum non est, ut in specie *l. 3. Cod. De rei vindic. l. Aliena* 20, *in princ. D. De pignor. act. l. 2* § *fin. D. Depositi, l. fin. C. Ad S. C. Maced. Et cap. Cura* 11, § *De jure patron. vel si æquitas aliud suggerat*, veluti si res mea ab alio vendita sine mandato meo apud emptorem perierit, aut ab eo præscripta sit; possum enim ratam habere hanc venditionem, ut ita à venditore pretium ejus consequar, *d. l. 3, l. Si pecuniam* 9, *C. De negot. g. est. Et l. Si eum servum* 23, *D. Si cert. per.* Unde non obert regula nostra textus in *l. Ei qui* 7, § *fin. C. Quod cum eo qui in aliena potest.* Quia & ibi recipitur rati habitio in præjudicium ratum habentis; quod fieri posse jam monuimus.

REGULA X.

Rati habitationem retrahere, & mandato non est dubium comparari.

Hæc Regula huc translata est ex *c. pen. De sent. excomm. lib. 6, ex c. fin. De jurejur. eod. lib. Et c. Si tibi* 17, *De præben. eod.* Convenit cum *l. Hoc jure* 19 § 1, *D. hoc tit. Et l. Vero* 12, *in fine D. De solutionib.* Est autem accipienda, si nomine ratum habentis negotium gestum sit, sicut latius dictum est ad præcedentem Reg.

Et non tantum in contractibus, *l. Si fundus* 16, § 1, *D. De pignor. l. fin. C. Ad S. C. Maced. l. Semper qui* 61, § 1, *D. De reg. jur. sed & in actibus judicialibus, l. Licet* 56, *D. De judic. adeoque in malficiis locum habet, c. pen. De sent. excomm. l. Ex hoc jure* D. *De reg. jur.* Neque interest, rati habitio à præsentate vel ab

absente facta sit, *juxta doctrinam à Bartolo traditam*; quod in iis, quæ ex mera voluntate alicujus pendunt, non requiratur patris præsentia, *Bart. ad Pomponium num. 1, D. De neg. gest. & in proposito argumento probat textus in l. Si filius familias* 18, *D. Ad S. C. Maced. in l. fin. C. eod. tit.*

Hæc autem rati habitio non tantum verbis fit, verum etiam re ipsâ, ex responso J. C. Pauli, *in l. Paulus* 3, *D. Ratam rem hab.* De verbis, res in confesso est. Re ipsâ, veluti si dominus à procuratore falso inchoatam litem persequatur, *d. l. Paulus* § 1, vel si quis ex contractu suo nomine ab alio inito ipse experietur; censetur enim eo ipso con-

Zzz 3

tractum

trañtum agnovisse & approbasse, *l. Si servus alienus* 07, *D. De fideiuss.* vel si pater receptus à filio literis ratione pecuniæ filio mutuo acceptæ; continud contestationem non interponat contrariæ voluntatis, *l. Si filiusfam* 18, *D. Ad S. C. Maced.*

Quod autem inquit Regula nostra, Ratihabitionem retrahit, accipiendum est, juris fictione, ad id scilicet tempus, quo negotium gestum est, *d. l. Si fundus* §. 1. *l. fin. C. Ad S. C. Maced. l. Donationes* 25, *C. De donat. inter vir & uxor.* Unde & obligationem & actionem ad idem tempus referimus, non ad tempus ratihabitionis, *l. 3, §. hac autem actio*

D. De negot. gesti. Atque hæc ad eò obtinent, etiam si is, qui gessit, vel mortuus sit, vel futere coeperit, aut cum gessisse pœnituerit; adhuc enim ratum haberi potest quod gestum est: nisi tempus, quo ratihabitione interponenda est, jam effluxerit, *l. pœnit. & ult. §. 1, D. Ratam rem hab.* nec enim quod lapsu temporis amissum est, solâ ratihabitione restitui potest, qui unus casus est, quo ratihabitione nihil operatur. Alter est, si certam formam in negotio gerendo lex requirat, ut in speciebus cap. Nonnulli 28. *De rescript. §. rutor autem Infit. De auctor. tut. l. Quid ergo* 13, *D. De his qui nor. infam.*

REGV L XI.

Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm aëtori.

Vnde hæc Regula eruta sit, habes in cap. *Inter dilectos* 6, in fine *De fide instrum. in c. 3, De probat. & in cap. Cùm ad eadem* 15, *De rescript. spol.* loquit, *Cùm partium jura obscura sunt. Quod duobus modis contingit; vel quia aëtor nihil probavit, vel quia utrimque probationes æquales sunt.* Ad priorem modum pertinet illa juris sententia. Aëto re non probante reus absolvitur, etiam si nihil præstiterit, *l. 4, C. De edenno, cap. fin. Ext. De jurejur.* & nullum in re jus habeat, solaque possessione se tueatur, *l. fin. C. De rei vindic.* Quippe jus agendi merimur non ex persona ipsius rei, sed aëtoris, *l. 1. §. fin. D. Si pars hered. per* Usque ad eò, licet reus onus probandi in se receperit & in probatione defecerit; nihilo enim magis aëtori adjudicatio fit, *l. Circa* 14, *D. De probat. & ibid. Gl. & Bart.* Semper enim illud remanet, *Aëto re non probante, reus absolvitur.*

Quoad posteriorem modum, ubi æqualis utrimque probatio est, sequi solemus quod a libi tradit textus. *Promptiora sunt jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum, cap. 3, vers. Si ambarum De probat. l. Arrianus* 46, *D. De oblig. & aëtor.* Et favorabiliores rei potiùs quàm aëtores habentur, *l. Favorabiliores* 125, *D. De R. l.* Præterquam si de re favorabili controversia sit, quâ specie aëtori magis favetur; puta, si agatur pro libertate, *d. cap. 1, l. Titia* 59, *D. De manus. fam. pro dote, l. In ambiguis* *D. De R. l. pro testamento, l. Si pars. o, D. De inof. test. pro matrimonio, can. pen. xxxiiii q. 1, c. continebatur* 6, *De despons. imbut addo huc cap. fin. Ext. De sent. & re jud.*

Unde neque obstat textus in *l. Inter stipulantes* 38, §. 1, *D. De verb. oblig.* ubi in obscuro magis creditur aëtori quàm reo; quia & id accidit ob favorem judicii, ne in potestate sit ipsius rei, tergiversando eludere judicium. Eadem solutio adhibetur ad *l. De die* 8, in prime *D. Qui satisd. cog.* Nec movet exemplum Salomonis, quia ea quaestione de partu inter duas mulieres, in obscuro non adjudicavit reæ partum, sed eum dividi jussit, *per text. in c. Aferre De præsumpt.* quia id non tam judicando, quàm in veritatis explorandæ causa fecit: argumento est, quod non permisit infantem dividi. Sed neque impedit, quod interdum Juxer neutri litigantium favoreat, sed utrique partem rei attribuit, *ut l. 4. D. Comm. divid. aut rem sorti committit, ut l. Sed cum ambo* 14, *D. De jud. l. 5, D. Famil. ar. cise.* Id enim fit, non quod utriusque partis jura obscura sint, sed ut ea, quæ alioqui certa sunt, certo modo explicentur & dirimantur. Regula autem nostra loquitur, ubi partium jura obscura sunt, in quibus ordinariu est, ut reus absolvatur, si in probatione aëtor defecerit; nisi forte præsumptio esset pro aëto: Sanè si aëtor, inquit Gregorius IX. omninò in probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere: præsumptione vero faciente pro illo, reo deferri potest, ad ostendendam suam innocentiam, juramentum; nisi iudex (inspectu personarum & causa circumstantiis) illud aëtori videat deferendum. text. est in *c. fin. §. fin. De jurejur.*

**

REGULA XII.

In judiciis non est acceptio personarum habenda.

Hæc Regula Judicem monet, ne in administranda justitia, personarum, quibus jus dicit, rationem habeat, sed deposito omni affectu, odio, favoris, præmi, timoris, causam æquo cognoscat, *cap. 1. De sent. & re judic. in 6. can. Quatuor 79. can. Quisquis 80. xi qu. 3. Quicumque, aut Hieron. aut consanguinitate, aut amicitia, & de contrario hostili odio vel inimicitia, in judicando ducitur perverit iudicium Christi, quæ est justitia, & fructum illius verit in amaritudinem text. est in can. Quicumque xi. quæst. 3. Regula autem hæc tradita videtur ex *Novit. 1. post med. Extrav. De judic. ex cap. Statutum 11. §. in super eum §. seq. De rescript. lib. 6. cap. 1. De sentent. & re judic. in 6.**

Cæterum non prohibetur Judex, remoto affectu (quod unicum hæc regula continetur) interdum personarum habere rationem in iudicio, si ita lex jubeat; veluti in minoribus xxv. annis, quos pronuntiat ex suis contractibus, sine auctoritate tutoris vel curatoris intus, non obligati, *tu Inst. De auctor. tut. in princ. l. 3. C. De integ. restit. imò & eos restituit, ubi auctoritate tutoris vel curatoris in contrahendo læsi sunt; quod non æquè est in majoribus, d. l. 3. & toto tit. D. De minorib. Item admittit exceptionem S. C. Velleiani mulieræ, quæ pro alio intercessit, *tit. D. & C. Ad S. C. Vellejan. & exceptionem S. C. Macedoniani filiofamilias, qui pecuniam numeratam mutuam accepit, tit. D. & C. Ad S. C. Maced. aliisque personis ex aliis causis succurrit; ad eò quòd unum ex ea-**

dem causa absolvat, alium verò condemnet. Et rectè, cum lex ita ex causa jubeat

Idem & in delictis evenit, in quibus ex isdem facinorosis nonnumquam alii aliter puniuntur; ut dicitur, aliter servi, aliter liberi, *l. Aut facta 16. §. persona D. De pœnis. Furiosus delicti pœna remittitur, non qui sanæ mentis sunt, l. Divus 34. D. De off. præsid. de quibus latè Tiraquel. in tract. De pœnis. Sed hæc, ut diximus, auctoritate juris fiunt, non ex privato affectu Judicis, qui hæc Regula inhibetur.*

His objicitur text. in *can. Clerico dist. 50. in cap. 3. Ext. De off. legati*, quibus locis Pontifex iultam pœnam remittit delinquenti, propter affectionem suam. Verum responderetur, in summo Principe reprehendi hoc non debere, in cujus arbitrio omnes pœnæ resident. At in inferiore Judice non admittitur, ut is pœnæ à jure constitutæ gratiam facere possit, *l. Si qua pœna 144. D. De verb. signif. cum non debeat esse clementior lege, §. oportet Novel. de iudicib. sed pœnam potius ex præscripto legis exequi, l. 1. in fine D. Ad S. C. Turpil. cap. 1. & cap. 5. Ext. De consue. Nisi fortè iusta causa Judicem permoveret ad augendam vel diminuendam pœnam, quod illi permissum est, *l. 1. & l. 4. C. Ex quibus caus. infam. irrog. l. Quid ergo 1. §. pœna gravior D. De hi. qui not. infam. l. Hodie 13. l. In metallum 22. D. De pœnis, Vide omninò Tiraq. in d. Tract.**

REGULA XIII.

Ignorantia facti, non juris excusat.

Facti ignorantia dicitur, cum quis ignorat id, quod factum est Juris verò ignorantia, cum ignorat, quod à jure constitutum vel comprehensum est. Exempla hujus Regulæ extant in *6. l. c. 2. Ext. De ordin. ab Episc. qui renunc. Episc. in cap. 2. Ext. De cognat. spirit. in cap. pen. Ext. De Clerico ex com. missi, in cap. Si beneficia 20. in cap. Eum qui 8. De præben. lib. 6. Adde & l. 1. D. De jur. & facti ignor. ubi hæc Regula multis exemplis illustratur.*

Intelligimus autem hoc loco ignorantiam fa-

cti non proprii, sed alieni; siquidem ignorantia proprii facti veniam non meretur, *per text. in l. Quamquam 7. D. Ad S. C. Vellejan. in l. Item queritur, 13. §. si fullo, in l. Sed adde: 9. §. 1. D. Locat. Nisi ubi ignorans de damno vitando, alter verò de lucro captando certaret; veluti in conditione indebiti, *l. 1. l. Sed & sine 22. & passim D. De condict. indeb. neque enim natura æquum est, locupletari cum alterius injuria, l. Nam hoc natura 4. d. tit. De condict. indeb. c. Locupletari inf. h. t. aut ubi factum proprium anti-**

antiquum est, cujus memoriam non ita facile re-
petimus, l. Peregrè 44, D. De acquir. vel amitt. poss.
Covarr. ad c. Possessor, p. 2, §. 8, num. 2, jub. h. tit. His
enim casibus nihil officit ignorantia etiam facti
proprii.

Ratio autem Regulæ ex eo pender, quòd facta
aliena infirma sunt, & plerumque etiam pruden-
tissimos fallant; proinde nulla culpa ignorantiam
adscribi debet. At jus finitum est, & esse debet,
adeoque ab omnibus intelligi, aut saltem de eo
alii peritiores consulti, l. 2, l. Regula 9, §. sed facti D.
De jur. & facti ignor. junct. l. Leges 9, C. De legib. & l.
Bonorum 10, De honor. possess. ita quòd jus ignorans
propter culpam suam minimè excusetur, locuf-
que sit Regulæ juris civilis, Quod quis ex culpa sua
dammum sentit, non intelligitur damnum sentire, l. Quod
quis D. h. tit.

Sed sententiam hujus Regulæ latius expendam-
us, nec enim perpetua est. Quod enim dicitur,
ignorantiam facti excusare, tum demum verum
est, ubi ignorantia probabilis est, non supini aut
nimium securi hominis, l. 3, & l. 6, & l. pen. §. sed
facti D. De jur. & facti ignor. l. fin. in fine D. Pro tuo cap.
1, in fine De ordin. ab Episc. Etenim non excusatur
is, qui quod omnes in civitate vel vicinia sciunt,
ipse solus ignoret, d. §. sed facti, cap. Quanto 8, Ext.
De presumpt. vel ejus ignorantiam obtendit, quod
publicè & solemniter denuntiatum aut scripto
propositum est c. 1, Ext. De postul. Pralat. cap. fin. Qui
matrim. accusare poss. l. Sed si pupillus §. 1, D. De insti-
tutione. Itaque probabilis alieni facti ignorantia
esse debet.

Neque huic adversatur tex. in l. Cum putarem
36, D. Fam. ercise. quo error facti nocet ei, qui
alium tamquam cohæredem suum, cum non es-
set, in divisionem hæreditatis admisit: quia id ac-
cidit propter sententiam Judicis, quæ inter liti-
gantes jus facit, l. Ingenuum D. De statu hom. nec
enim ex judicati causa soluti repetitio datur, l. 1,
C. De condic. indeb. Ceterum ubi divisio sine Ju-
dice facta est, nihil impedit illud repeti, quod al-
ter ex divisione injustè accepit, ex hac reg. nostra,
ex d. l. Cum putarem in fine & l. Si post 4, C. De jur. &
facti ignor. Non moveri quoque textus in can. Le-
gatum xxxiv. quæst. 2, quo pœnitentia indicitur il-
li, qui errore lapsus cum uxoris sui sorore, putans
eam sororem esse, concubuit: Nam sit ad majo-
rem cautelam, ut Glaf. ibi annotavit; fortè enim
consensus aliquis irrepit, facit can. Excommunica-
torum xlii. quæst. 5, & can. Si quis insaniens xv. qu. 1,
Neque præjudicat, quòd hæres ex contractu de-

functi, tamquam ex alieno facto conveniatur, ma-
tis. C. De hæreditat. action. id è quòd hæres fingitur
eadem persona cum defuncto, Novel. de jur. in
morient. prest. circa princ. cui & merito imputatur,
quòd omisâ deliberatione sive inventario, hæ-
reditatem defuncti inconsultò adjerit, leg. fin. Cod.
De jure delib.

Jam quòd attinet ad alterum membrum hujus
Regulæ de juris ignorantia; hanc, ait Regula,
non excusare ignorantem, intellige quoad qui-
rendum, non quoad damnum amittendum, rei suæ,
in quo ignorantia juris excusat, id est, non nocet.
Ita enim temperat Papinianus J. C. Juris ignoran-
tia, inquit, non prodesti acquirere volentibus: suum vni
perdentibus non nocet, l. Juris 7, D. De jur. & facti ig-
nor. Iterum: Error facti ne maribus quidem in dam-
nis vel compendii obest. Juris autem error nec famam
in compendii prodest. Ceterum omnibus juris error in
damnis amittenda rei sua non nocet, l. Error 8, D. a. m.
Ecce hæres, qui juris ignorantia ductus, solvit
integrum legatum vel fideicommissum, perdit
Falcidiam, l. Error 9, C. Ad leg. Falcid. Item qui bono-
rum possessionem intra legitimum tempus non
agnovit juris errore lapsus, a petitione ejus ex-
cluditur, l. 1, D. De jur. & facti ignor. eò quòd utro-
que casu de compendio agatur. Sin autem per ju-
ris ignorantiam indebitum alicui solutum sit,
quia hic damnum noius, & alterius lucrum ver-
titur, utique soluti repetitio conceditur, sit D. &
C. De condic. indeb. Nec enim obest solventi igoo-
rantia juris, etiam si ea culpâ non careat; quæ natu-
ralis æquitas hac in re præponderet, quæ pro-
hibet, locupletari cum alterius detrimento, l.
Nam hoc natura 14, D. De condic. indeb. Quòd refe-
rendum est legatum sive fideicommissum in non
solemni testamento, vel codicillis non ritè ordi-
natis, relictum; ut & illud per juris errorem so-
lutum ab hærede condici possit, per text. in l. Si ve-
ritas 23, C. De fideicom. & in l. Non dubium 6, C. De
testam. Cum & hoc casu agatur de amittenda re,
jam antè, quæ sita hæredi per aditionem hæredi-
tatis: quamvis sint, qui huic sententiæ relucten-
tur. Vide Bart. ad l. Cum quis 10, C. De jur. & facti
ignor. Hinc tamen excipiuntur legata & fidei-
commissa, quæ sacrosanctis Ecclesiis, & cæteris
venerabilibus locis relicta sunt; vel ubi ad resti-
tutionem damni ex lege Aquilia actum est. Nam
cum ex his causis inficiando lis crescat, indebitum
per errorem solutum non repetitur, eò quòd
transactum videatur, ne inficiatus subjiciatur pe-
riculo dupli, §. Item in Insti. De obligat. quæ ex quæ-
siti.

contr. nasc. l. 4, C. De condit. indeb. l. 4, C. Ad Aquil. & ibid. D. Singulariter receptum est in militibus, & minoribus xxv. annis, ut nec in compendio faciendi his obstat ignorantia juris, l. Regula 9, §. 1. D. De iur. & facti ignor. propterea quod illi magis arma quam leges tractant, l. fin. C. De iure delib. hi vero propter imbecillitatem iudicii veniâ digni sunt, l. Quamvis 11, C. De iur. & facti ignor. Adde, & ignorantiam juris in compendiis tunc demum obesse, si ignorans Jurisconsulti copiam habuerit, quem potuerit consulere; vel suâ prudentia ita intractus fuerit, ut facile scire potuerit, ignorantiam juris sibi detrimento futuram, d. l. Regula §. sed juris, l. In bonorum 10, D. De bonor. posses. quæ insignis hac in re limitatio est.

Ceterum quæsitum est, an juris ignorantia in delictis excuset: in quo certè prædicta Papiniani moderatio de damno & de compendio adhiberi non potest. Verius tamén est, delinquentem excusare, saltem ut mitius puniatur, per text. §. ita tamen Inst. De vi bon. raptor. l. Quæ adulterium 38, §. 1, in vers. nam si sola D. Ad L. lul. de adult. l. Divus 15, §. pen. D. Ad L. Corn. de fals. quia error juris dolum non continet, l. Igitur 1, vers. & generaliter D. Delicti hereli causa; qui in delictis, præcipuè publicis, spectatur, l. pen. D. Ad L. lul. de adult. cum jurib. in Glof. alleg. dum tamen delictum non sit contra jus

naturale, vel rationem juris naturalis, d. l. Quæ adulterium §. 1, & l. 2, C. De in qua voc. aut contra jus civile notorium & indubiratum; de quibus fufius apud Andream Tiraquel. in Tract. de penis causa 11.

Quocirca non obstat text. in l. Qui commensum 14, in fine D. De re milit. ubi propter ignorata jura tyroni patitur.

Utrum verò contra jus delinquens peccet in foro animæ, alii consulantur, Navar. fusc. in Manuali cap. 23, num. 44, cum seqq. Sylvester in Summa, in V. ignorantia. Quamvis alicui fortasse videri posset, eum, qui contra jus civile facit, nullam noxam contrahere, dummodò contemptus & scandalum abint; ex eo, quod alienatio rei dotalis & renuntiatio hæreditatis, alioquin à Jure civili improbatæ, juramento confirmantur, c. Cum contingat 28, de jurejur. c. 25 de pactis in 6, At verò rei turpi, ut est peccatum, juramentum accedere non potest, propter juris Reg. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, c. Non est obligatorium inf. eod. Verum hæc sententia D. Thomæ cæterisque Theologis non probatur, D. Th. 1, 2, quæst. 69, art. 4, & Gregor. de Valentia tomo 2, disput. 7, qu. 6, puncto 6, Vbi ex communi Catholicorum sententia contrarium tradunt.

REGULA XIV.

Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantie causam censetur habere.

Similis ferè Regula extat in D. h. t. l. Qui in alterius, Si enim alieni facti ignorantia justa est, ut supra ad præcedentem regulam diximus; ergò & ejus, in cujus hæreditatem vel locum succeditur; nam & hujus factum alienum est. Quod fit, ut hæres vel alius successor cogi non possit jurare de facto defuncti vel alterius, propter justam ignorantie causam, l. Marcellus 11, §. 1, D. Rerum amot. l. Videamus 4, in princ. D. de in litem

jurando, Nisi ubi quis tamquam testis alieni facti adhibetur; qua tamen specie non tam de facto alieno, quam de proprio, juratus deponit, quod scilicet, vel viderit, vel audierit, vel alio corporis sensu defuncti factum vel alterius perceperit, l. fin. C. de fideicom. Atque idcirco ad præsentem Reg. hoc modo pertinet, Neque his obstat Reg. Is qui in jus inf. eod. nam illa non de facto (de quo hic agitur) sed de jure defuncti loquitur.

REGULA XV.

Odia restringi, & favores convenit ampliari.

Odia favoribus opponuntur: qualia sunt, quæ juri communi derogant, vel alteri præjudicium adferunt. Juri communi, ut sunt statuta illi contraria. Cum enim jus commu-

ne ad eò favore sit, quod publicæ tranquillitatis causa in commune sit constitutum; necesse est, ut statuta, quæ huic adverfantur, strictè accipienda sint, & redigenda, quantum fieri potest,

Aaaa

ad

ad jus commune, cap. *Cum dilectus* 8, circa fin. Ext. *De consuet.* Nam & si quid in statutis desideratur, à Jure communi suppleri solet, per text. in l. 2, C. *De noxal. action.* Idem est in dispensationibus, quæ & odiosæ sunt, eò quod adversus jus commune concedantur; ac proinde strictam quoque interpretationem recipiunt, per textum in cap. 1. cap. 2, *De filiis presbyt. in 6. cap. 3.* Ext. *De consang. & affin.* Quà ratione & decimæ in feudum olim laicis concessæ, ad decimas novalium non producuntur, cap. *Tua* 2, §. *fin. De decimis.* Quippe juri communi adversum est, ut laici decimas possideant, cap. *Causam* 7, *De prescript. c. Prohibemus* 5, *De decimis.* Similiter omnia privilegia & rescripta odiosa dicuntur, quæ tendunt in præjudicium alterius, atque idcirco hoc sensu accipienda sunt, ut quàm minimum alteri noceant, cap. *Quamvis* 8, *De rescript. in 6. l. 2. §. si quis à Principe* 6, D. *Ne quid in loco publ. l. Rescripta* 7, C. *De precib. imp. offeren.* Neque movet S. C. *Macedonianum*, quod licet odiosum sit, & tantum de numerata pecunia loquatur, interpretatione tamen juris porrigitur ad frumentum, vinum & oleum, mutud datum fisionam. l. *Item* §. *mutui* D. *Ad S. C. Maced.* quia id accidit, ne fraus fiat S. C. *Macedonianum*; facile enim creditores hac arte eludere possent S. C. auctoritatem, submittendo hujusmodi merces, quæ postea à filiofamilias redigerentur in pecuniam numeratam; sic sine effectu esset S. C. *Macedonianum.* Adde quæ de pœnis dicam

ad cap. *In panis inf. eod.* Atque hæc de odiosis. Quæ autem favorabilia sunt, interpretatione juvantur & extenduntur; ut sunt beneficia Principis, quæ, ut inquit Javolenus, quàm plenissimè interpretari debemus, l. 3, D. *De constit. Princ. & text. in cap. Olim* 16, Ext. *De verb. signif. in cap. Cum dilecti* 6, in fine *De donat.* Quod sit, ut, si cui tempore interdicti permissum est celebrare vel audire divina officia, idem permissum intelligatur & ejus domesticis, c. *Licet* 11, *De privi. lib. 6.* & concessio decimarum alicujus parochiæ comprehendat etiam novalium decimas, cap. *Ex parte* 27, Ext. *De decimis.* Et sic de cæteris beneficiis Principis, quatenus scilicet concernunt jus Principis concedentis: nam quoad jus tertii strictissimè accipienda sunt: cum huius prospectu beneficia odiosa sint. Semper enim illud in beneficiis Principum tacite inest, ut ita profint, dummodò aliis non noceant, ut jam antè declaravimus. Ubi tamen beneficia Principum ambitiosa sunt, etiam si alteri non noceant, nihilominus receptum est, ut in his interpretatio adhibeatur, in odium impetrantis; veluti, si cui provideri mandatum est de beneficio Ecclesiastico. Nam huic de pensione provideri non poterit, c. 4, *De praben. lib. 6.* Et impetratio beneficii Ecclesiastici, suppresso alio, quod possidetur ab impetrante, nullius momenti est; nisi forte moru proprio diserte emissæ esset, cap. *Si motu* 23, *De praben. lib. 6.*

REGULA XVI.

Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum,

Quid beneficium sit, per se planum est: modò hæc meminerimus beneficii nomine & privilegium contineri, per textum in l. 3, D. *De constit. Princ. in l. Ex facto* 43, circa princ. D. *De vulg. & pup.* Videtur hæc Regula desumpta ex cap. *Sicut* 16, *De praben. lib. 6.* ex cap. 1, in princ. *De privileg. eod. lib.* Atque ad eò obtinet, ut etiam per generalem legem postea latam, l. 3, C. *De silentiar. & decur.* aut per concessionem generaliter vel specialiter factam, text. optimus in cap. *Si propter* 10, *De rescript. lib. 6. cap. Veniens* 19, *De prescript.* nihilò magis beneficio derogetur. Quia non præsumitur Princeps jus alteri concessum auferre velle, nisi id expressè contestetur, c. *Quamvis* 8, *De rescript. in 6.*

Sed an rectè à Principe expressis verbis privilegium revocari possit, dubitationis est. Et licet sint qui distinguant privilegium concessum subdito ab eo, quod non subdito concessum est, quod illud regulariter revocari possit, hoc vero minime; And. Gail. lib. 3, *Obs. 6. in fine* D. *Peckius lib. quem vide.* & *Felin. ad cap. Novus num. 7. cum seqq. D. De judic.* mihi tamen probabilius videtur, Principem beneficium à se semel datum, etiam subdito suo, revocare non posse: quippe Princeps ex consensu suo non minus obligatur, quàm privatus, propter naturalem æquitatem, quæ dicat, ea, quæ semel placuerunt, servanda esse, l. 1, in princ. D. *De pact.* At quis dubitat, naturali æquitati subiectum esse Principem? Quà ratione non ablus.

absurdè dicitur, Principem, etiamsi ob summam ejus auctoritatem legibus absolutus sit, tamen idèd legibus alligatum esse, quòd se sponitè legibus subjecit, per textum in l. digna vox 4, C, De testam. junctim l. Est receptum 14, D, De jurisd. Nihilominus dubitandum non est, quin Princeps ex causa possit condere novam legem; item privilegium ex causa possit alteri auferre: puta si privilegiatus abutatur privilegio, can. Privilegia

x1. qu. 3, cap. Tuarum 11, Ext. De privil. cap. Contingit 45, De sent. excom. vel in Principem ingratus sit, ex l. fin. C, De revoc. donat. Vide Felin. ad cap. 1 nu. 6, De probat. ad eus Novus De jud. vel alius scandalo, propter privilegium, cap. Suggestum 9, De decimis, vel si reipubl. utilius sit cessare privilegium, aut potius in alium transferri, arg. l. Item si verberatum 15, i. 2, D, De rei vind. l. Lucius 11, D, De evict.

REGULA XVII.

Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum.

Hæc Reg. superiori non valde dissimilis est, huc conjecta ex c. Commissa 1, De elect. lib. 6, ex c. penult. & ult. Ext. De secund. nupt. Eundem enim effectum beneficium habet, sive à Principe, sive à iure (cujus auctor Princeps est, l. fin. C, De legib.) concessum sit. Et sicut Princeps interdum ex causa beneficium suum revocat, prout præcedenti Reg. dictum est; ita & juris beneficium nonnumquam auferit, nonnumquam moderatur, uti videre est in beneficiis S. C. Macedoniae & Vellejani: quæ licet juris beneficia sint,

multis tamen casibus restringuntur, ex causa, l. 2, & l. 5, C, Ad S. C. Macedon. l. Fœminis 83, l. Si mulier 22, cum legib. seqq. C, Ad S. C. Vellejan. Numquam tamen Juxta potest juris beneficium alteri auferre aut denegare; cum hic juris minister sit, & à præscripto juris eum recedere non oporteat, l. Nemo 13, De sent. & interloc. l. fin. in fine C, Si contra jus vel util. publ. c. 1, De sent. & re jud. nisi quatenus lex ipsi permittit, ut in l. 3, l. 4, §, si quis condemnatus D, De re judic.

REGULA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

Convenit cum l. Quod initio 19, D, h. eod. tit. Extant hujus Reg. exempla in c. Si eo 9, De rescript. lib. 6, inc. Licet 4, De sent. excom. eod. lib. 6, Eiusque usus latissime patet. Nam non solum locum habet in ultimis voluntatibus, l. pen. D, eod. §. præterea in Inst. Quibus non est permiss. sac. test. cum similib. verum etiam in contractibus, l. Inter stipulantem 83, §. sacram D, De verb. oblig. l. A marito 28, C, De donat. inter vir. & uxor. in iudicis, c. 1, Ex. De sent. & re jud. l. Si expressim 19, D, De appellat. in rescriptis Principum, c. 1, De rescript. lib. 6, cæterisque actionibus: cum id, quod vitiosum est, id est, perperam factum, pro infecto habeatur, juris interpretatione, l. Quoties 6, D. Qui satisf. cog. c. Quæ contraria in hoc tit. Unde impossibile est, ex eo ul- lum effectum subsequi, etiam accedente diuturnitate temporis; quippe tempus non est modus inducendæ vel tollendæ obligationis, l. Obliga-

tionum 43, §. placet D, De oblig. & act. Quòd accidit, ut & sponsalia à minoribus septennio, vel matrimonium ab impuberibus contractum, tractu temporis non convalescant; eò quòd inutiliter eà ætate contrahantur, cap. 1, De spons. impub. lib. 6, Nisi fortasse, superveniente legitimæ ætate, per novum consensum sponsalia vel matrimonium confirmantur, expressè vel tacitè, d. cap. 1, vel nisi ratihabitione meâ, quod malè ab alio gestum est à me comprobetur, de qua ad cap. Ratum cum cap. seq. inf. eod. Verum hæc novo consensu, non tractu temporis firmantur.

His obiicitur text. in l. pen. & ult. C, Si major fact. alien. & in l. unica C, De contractib. jud. quibus locis alienatio inutilis, temporis cursu confirmari videtur. Sed respondetur, alienationem illis textibus non tam cursu temporis, quàm tacito consensu ipsius domini, qui ex lapsu tanti temporis præsu-

presumitur, confirmari. Nam & idem evenit in ulacapione rei alienæ, cuius dominium, si res mobilis sit, triennio; si immobilis, longo tempore

adquiritur, tit. Inß De usucap. Vix est enim, inquit Paulus, ut non videatur alienare, qui patitur ulacapit, l. Alienationis 28, D. De verb signif.

REGULA XIX.

Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

EThæc Regula convenit cum l. Culpa D. eod. tit. & huc traducta videtur ex cap. Tua 19, Ext De homicid. Quod pertinere arbitror etiam eum, qui rem, quam ignorat, cum damno alterius proferat, l. Idem juris 8. §. mulionem cum l. seq. D. Ad L. Aquil. l. Illicitas 6, §. sicuti D. De off. praesid. Neque obstat tit. D. & C. de neg. gest. Nam quod abfentis negotia ab aliis recte gerantur, id propter utilitatem absentium receptum est; cum

beneficio affici hominem intersit hominis, l. Servus 7, in fine D. de servis export. Quare neque negotiorum gestor aliter competit a domino ad repetendos sumptus, quam si utiliter negotium gesserit, l. Sed an ultro 10, D. de negot. gest. Ubi tamen prohibente domino negotia eius gesserit, sumptus factos non repetit, l. fin. C. de negot. gest. Estque hoc casu huc regula locus.

REGULA XX.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

Similis juris civilis Regula est: Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam aliâ defensione uti, nisi lex impediat, l. Nemo ex his 43, D. hoc tit. Ut ecce debitor, qui ex delatione creditoris iuravit se nihil debere, & exceptione creditoris iuravit, non tamen eam probavit, potest relicta ea ad exceptionem pacti conventi, transactionis, solutionis, rei iudicatæ confugere, vel etiam simul eas proponere. Pluribus enim defensionibus, inquit Paulus, uti permittitur, l. Is qui 3, D. de except. etiam si exceptiones inter se contrariæ sint, l. Nemo prohibetur 8, D. d. tit. de except. Eoque accidit, ut is, qui hominem à se occisum negavit, possit de eo convictus, recurrere ad hanc exceptionem, quod obtutelam corporis sui eum occiderit. Decius ad cap. Pastoralis, num. 1, Ext. de except. Ad probandum tamen exceptiones contrarias simul, reus minime admitti debet (quia hoc impossibile foret) sed successive. Cæterum hæc clausula, Nisi lex impediat, adiecta Regulae juris civilis, huc transferenda vel potius subaudienda est, ut perdat officium suum & hæc Regula iis casibus, quibus iure cautum est, ne alia exceptio obiciatur, qui recensentur hic in Glos. & ad d. l. Nemo ex his. Diversum obtinet in actore, cui unam tantum actionem

unius rei nomine intentare licet, d. l. Nemo ex his §. 1, vide latus Per. Costal. ad l. Quod in herede §. elige D. de tribus. act. in qua & ad huc usque persistere debet, Auth. Qui semel C. Quomodo & quando iudex. Cuius diversitatis hæc ratio est, quod in actoris potestate sit, quando & qua adione experiri velit, qui ve ius suum ante diligenter explorare possit. Quod non æque in reo est, qui sæpe imparatus ad iudicium provocatur: unde benignius cum reo, quam cum actore agitur, l. Qui in alterius 42, D. hoc tit. l. Pure §. §. fin. D. de doli & mt. except.

Nec movet textus in cap. Veniens 19, Ext. de prescript. Nam quod ibi exceptio prescriptionis post exceptionem privilegii prius obiectam non admittatur, hoc idem accidit, quod prescriptioni per impetrationem privilegii renuntiatum presumatur; frustra igitur prescriptionis exceptio obtenditur; alioqui absurdum non est, exceptiones privilegii & prescriptionis simul, vel separatim posse obici, cap. Cum persona 7, de privileg. lib. 6, cap. Auditus 15, Ext.

de prescript.

(***)

REGULA XXI.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

Hæc Regula mutationem voluntatis detestatur. Eruta videtur ex cap. Nulli 8, de elec. lib. 6, ex cap. Per tuas 10, Ext. de probat. a. Inique locis. Præcipuus ejus usus est in contractibus & cæteris conventionibus, l. Sicut 3, C. de oblig. & act. l. 1, d. de pact. cap. 1, cap. 3, Ext. de pact. Quid enim tam congruum humanæ fidei, quam ea servare, quæ inter eos placuerit? d. l. 1, in princ. Et g. ave. e. fidem fallere, inquit Ulpianus in l. Nemo potest, in princ. d. de const. pecun. Huc spectat juris Reg. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum, cap. Mutare in f. eod. l. Mutare v. eod. tit.

Variè autem attemperatur hæc regula: In primis locum non habet, ubi utriusque partis consensu à placito discessum est, l. Nihil tam naturalis d. hoc tit. §. fin. Inst. Quibus modis toll. oblig. cap. 2, Ext. de sponsal. Excepto matrimonio, quod semel contractum, mutuo consensu conjugum non dissolvitur, cap. 1, c. 4, de convul. conjug. cum similib. Deinde cessat in contractibus innominatis, in quibus ante impletionem penitentia etiam unius admittitur, per text. in l. Si pecuniam 5, d. de condict. causa data. eod. quod horum usus in commerciis hominum non tam frequens & necessarius sit, quam contractuum nominatorum, in quibus penitentia alterius locus non est, d. l. Sicut l. Rationis 7, C. de rescind. vend. præter depositum, l. 1, §. est autem d. de pos. mandatum, §. mandatum Inst. de

mandato, societatem, §. manet Inst. de societ. in quibus, licet contractus nominati sint, tamen penitentia admittitur, re adhuc integrâ, id est, antequam alterius interesse cõperit, jam dd. juris. Tertio, locum non habet in sponsalibus, ubi in dissentiente causa subest, aut nolit omnino consentire in matrimonium, cum coactæ nuptiæ soleant habere difficiles exitus, vide Summam Tit. de sponsal. Quarto, neque in ultimis voluntatibus, quia hæc ambulatoriæ sunt ad vitæ supremum exitum, l. 4, in fine d. de adm. & transfer. leg. l. Ceterum hic 32, §. ait oratio d. de donat. inter vir. & uxor. ad eod. quod testator sibi legem injicere non possit, ne à priorè voluntate sibi recedere non liceat, l. Si quis 22, in princ. d. de leg. 3, Illud singulari jure receptum est in suo hærede, ut is reculationem hæreditatis paternæ revocare possit intra triennium; dummodò res hæreditariæ alienatæ non fuerint, l. fin. C. de repud. vel absin. hæred. idque propter reliquias illius juris, quo statim à morte ipsius patris defuncti hæres fuerat, §. sui Inst. de hæred. qual. & differ. l. in suis d. de lib. & posth. item in Judice, qui & sententiam suam interlocutoriam revocare potest, l. Quod iussit 14, d. de re judic. cap. Cum cessante 60, Ext. de appellat. cum per interlocutionem suam non desinat esse Judex in eodem negotio.

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

Exempla hujus Regule require ex cap. unico de in. iuris lib. 6, in c. Nobis 27, in c. Sicut 33, de simonia, in c. Si compromissarius 37, §. porro de elec. lib. 6. Hujus regulæ a quitate nititur tit. C. Ne uxor pro marito, cum sit seq. & ille juris regula: Delictum persona non debet in detrimentum Ecclesie redundare, c. Delictum in f. eod. Hinc in feudo Ecclesiastico receptum est, ne propter culpam Prælati vasalli feudum committatur, nisi quoad vitam ipsius Prælati, postea enim successori ejus feudum restituendum est, c. 1, in fine de capit. Corradis 2, Feud. Facit pro hac Regula textus elegans in l.

Sancimus 22, C. de penis, in l. Crimen 26, d. eod. tit. d. penis. Quæ enim justitia est, quod innocentiæ præsidium, si alius ex facto alterius conveniat vel puniatur? Existunt tamen casus, quibus ob causam ab hac Regula receditur; veluti in crimine læsæ majestatis, tam humanæ, l. Quisquis 3, C. Ad leg. Jul. majest. quàm diviniæ, in qua & filii, etiam innocentes, propter delictum patris puniuntur, Auth. Gazaros C. de heret. cap. Vergentis 10, Ext. de heret. c. Statusum 15, de heret. lib. 6, Item propter incontinentiæ vitium parentum accensur filii ab ordinibus Ecclesiasticis, tit. Ext. & in 6, de filiis

Aaaa 3

pres.

presby. cum in filiis paterni, hoc est, hereditarii criminis exempla metuantur, d. l. Quisquis s. filii. Et sic hæc Regula ex alia juris regula attemperatur:

Sine culpa, nisi sub sit causa, non est aliquis puniendus, cap. Sine culpa inf. hoc eod. Vide fufius D. Peckium ad præsentem Reg.

REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi sub sit causa, non est aliquis puniendus.

Hæc Regula simul & exceptionem continet: generaliter enim tradit, neminem sine culpa sua puniendum esse: quod & confirmant textus in c. 1. De constitut. in c. 2. Ext. De his que fiunt à majori parte cap. Et in cap. 5. §. fin. De sent. excomm. lib. 6. & quæ ad superiorem Reg. diximus.

Exceptio est, nisi sub sit causa, quæ innoxium puniendum suadet, sicut de filiis reorum Majestatis & Clericorum jam antè meminimus. Quibus addere licet receptos in Monasterium, vel ad beneficium Ecclesiasticum per simoniam: qui licet ignorantés aliorum vitio admissi sint, nihilominus in his & simoniae scelus vindicatur, in maiorem detestacionem ejus, cap. De regularibus 5. cum cap. seq. Ext. De simonia, can. Quicumque 1. quæst. 5.

Item, sacerdotem leprâ divinitus percussum, qui & sine culpa sua ab Ecclesiæ administratione removeretur, sed non sine causa, videlicet propter horrorem & scandalum populi, c. 4. Ext. De Clerico agro. His igitur casibus pœna quidem in innocentes porrigitur, sed non sine causa. Quod spectat, quod apud sacros Canones receptissimum est, quod absente altero conjugè, vel adultero, vel in futurorem aliam ve infirmitatem actò, nihilominus alteri abstinentum sit ab aliis nuptiis. Causa enim & hic subest, videlicet prioris matrimonii nexus indissolubilis, can. Hi qui cum tribus seqq. xxxii. quæst. 7. cap. fin. §. si autem de carnali in fine & ibi Gl. Ext. Vt lite non contestata.

REGULA XXIV.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

Eadem Regula iisdem ferè verbis prodita est à Paulo J.C. in l. Non videntur s. r. D. eod. tit. Contra verò inquit alia juris Regula. Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit, l. Non potest dolo eod. Exemplum Regulæ nostræ adferri potest ex cap. Si Clericos 15. De sent. excomm. lib. 6. & quod magis Regulam illustrat ex cap. Pastoralis 28. §. quia verò sepè Ext. De offic. & potest. jud. deleg. Ubi ordinarius Judex iustus à delegato Judice tenetur eius sententiam exequi, licet feiat eam esse iniustam: quia necesse habet parere. sicut & text. in l. Si prator 7. in princ. D. de judic. Sic & debitor compulsus à Judice, ut minori absque curatoris auctoritate solvat, excusatur; aded ut ne quidem adversus hanc solutionem minor restitutionem petere possit, l. Aut prator 7. §. permittitur D. De minorib. Imò potius in dolo esse præsumitur, qui mandatum Judicis non exequitur, in juxta alteram iuris Regulam, Non potest, iam antè citatam. Quæ tamen ita exaudienda est, nisi iusta causa sit non parendi Judici; puta, si iuberet Judex contra divinum præceptum; obedire enim

oportet Deo magis quam hominibus, can. Si Dominus, can. Iulianus, & can. Qui resistit xi. quæst. 1. aut si contra conscientiam, c. Inquisitioni 44. Ext. De sent. excomm. adhibita ibid. dist. & can. Quid culpam. xxiii. quæst. 1. Quicumque enim sit contra conscientiam, edificat ad gehennam, c. Literas 13. circa med. Ext. De restit. spoliator. Aut si contra expressum ius mandati; cum Judicis factum iuri derogare non possit, l. in fine princ. D. De feriis, l. Nemo 13. C. De sent. interlocut. aut quod ad officium eius non pertinet, nam factum à Judice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non est, inquit Paulus in l. Factum à Judice 170. D. hoc tit. c. Quæ fiunt inf. eod. aut quod iurisdictionis suæ limitibus non continetur. Extra enim territorium ius dicenti impunè non pareretur: idem est, & si supra iurisdictionem suam velit ius dicere. Adem Paulus in l. fin. D. De iurisd. om. iud. His certè casibus mandatum Judicis rectè negligitur, in juxta alleg. iura; alioqui ei parendum est, propter publicam auctoritatem, c. 2. cap. 4. §. 5. c. 6. Ext. De maior. & obed.

REGU.

REGULA XXV.

Mora sua cuiuslibet est nociva.

Concordat Juris Civilis regula in *l. In condemnatione*, § *unicuique* *D. eod. tit.* Exempla extant in *cap. unico Ext. De commo. in cap. 2. Ext. De depof.* quibus locis commendatario & depositario mora sua nocet. Quando autem mora committatur, anxie à *Dd.* disquiritur. Nobis autem sufficiat tunc moram committi, quando quis interpellatus opportuno loco non solvit; ut tamen illud apud Judicem examinetur, *l. Mora 32. in princ. D. De usur.* qui & ejus rationem habiturus est, an interpellatus postea sui copiam fecerit, & creditor instantiam omiserit, & minime in proposito perseveraverit. Nam omisâ instantiâ creditor censetur à priorè interpellatione recessisse, *juxta d. l. Mora in fine princ.* Sicur & si, debitore offerente debitum, recuset creditor recipere. Nam & hac ratione mora prior, si qua fuit, ipsius debitoris purgatur per moram subsequentem creditoris, *l. Illud 17. D. De periculo & com. rei vend.* Et hanc moram, quæ ex persona sumitur, regularem Interpretes appellant; ad differentiam alterius moræ, quæ re ipsâ contrahitur absque aliqua denuntiatione creditoris; ut in fure & raptore, qui à tempore delicti semper in mora esse censentur, *l. 1. C. De his qua vi metusve causa*, *l. fin. D. De condit. furt. l. 1. §. rectissime*, & *l. penult. D. De vi & vi arm.* Item in debitore minoris xxv. annis, qui & absque interpellatione in mora constituitur; videlicet, in contractibus bonæ fidei, in fideicommissis &

in legatis, *l. 3. Cod. In quib. caus. in integ. restit. non est necess.* idque in favorem minoris ætatis. Item in emptore, qui è rempra & tradita sibi fructus percepit, nondum pretio à se soluto; nam propter fructus à se perceptos, tenetur venditori in id, quanti ejus interest, *l. Curabit §. C. De action. empti.* Hanc itaque moram, quæ re ipsâ fit, irregularem Interpretes vocant; cum regulariter mora non nisi per interpellationem committatur, *d. l. Mora in princ.*

Observandum tamen, in contractibus, ubi certus dies à contrahentibus, *l. Maligna 12. C. De contrah. stipul. l. 4. §. fin. D. De lege commif.* vel ab ipsa lege adjicitur, *cap. fin. Ext. De locato, l. 2. C. De jure emphyt.* moram statim per lapsum diei contrahi. Diversum est in obligationibus puris (de quibus jam antè dictum est) & in conditionibus; in quibus eventus conditionis non interpellat, neque in mora constituit debitorem: cum æquum non sit, ut quo die obligatio creatur, eodem quoque mora contrahatur, *ex l. Quod dicimus D. De solut. vide Costal ad l. Pecunia §. usurarum D. De usur.*

Neque movet, quod mora ipsius rei etiam fidejussori noceat, qui alioquin in mora non est, *l. Mora 88. D. De verb. oblig.* Quia id accessorie fit, propter obligationem ipsius rei, quam in se quodammodo recipit fidejussor. Accessorium enim naturam sequi congruit principalis, *cap. Accessorium inf. eod.*

REGULA XXVI.

Ea quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

Vide quæ supra diximus, *ad cap. Quod quis mandato.*

REGULA XXVII.

Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.

Convenit cum Regula Juris Civilis in *Nemo videtur fraudare D. eod.* Rectè inquit, *scienti & consentienti*, copulativè. Nec enim huc Reg. locus est, nisi hæc duo simul conjungantur; quia quandoque scienti injuria fit, sed

non consentienti, quia reclamare, vel non audeat contradicere adversario, propter metum vel verecundiam, *l. penult. D. De furt.* quandoque fit consentienti, sed non scienti, id est, verè intelligenti, veluti pupillo, furioso, *l. 1. §. impubere. C. De*

falsa moneta. Non obstat textus in *cap. Constringit* 39. *Ext. De sent. excom.* ubi is, qui scientem & consentientem Clericum percussit, nihilominus excommunicatur, tamquam manus injurias Clerico intulerit. Quia Clericum percussit non tam ipsi Clerico, quam Ordini clericali injuriam infert, cujus hoc privilegium est, *d. cap. Constringit De sent. excom.* cuique Clericus renuntiare non potest, *cap. Si diligenti Ext. De foro compet. l. ius publicum D. De pact.*

Nec impedit textus in *l. unica C. De rapto virg.* quo & raptores puniuntur, etiam si volentem mulierem honestam abduxerint. Sed id accidit,

quod lex presumat mulierem non liberè abductam, sed dolosà persuasionem ipsius raptoris: persuadere autem plus est, quam compellere aut cogi sibi parere, inquit Ulpianus, in *l. 1. §. persuadere D. De servo corrupto.* Sed neque movet *l. Si quis servo 20. C. De furt. & ser. cor.* quia licet ibi revera neque servus corruptus, neque invito domino res ablatae sint; tamen ideo placuit, actionem furti & servi corrupti dari, propter dolum ipsius inducentis & corruptentis servum, & & hoc hujusmodi impunitas in consequentiam trahatur. Itaque singularis casus est.

REGULA XXVIII.

Quae à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentia sunt trahenda.

PAulus J.C. *Quod contrarationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentia.* *l. Quod contra 141. D. hoc tit.* Eadem utriusque Regulae sententia est. Ea autem exorbitare dicuntur, quae ab orbita, id est, à via communi defleunt; qualia sunt dispensationes, privilegia, statuta juri communi contraria, quae in consequentiam, hoc est, ad alias personas sive casus non sunt producenda, sed suis terminis constringenda, *cap. Sane 9. Ext. De privil. cap. Constitutus 18. De concess. prob. e. Cui 27. De praeben. lib. 6. cap. 3. Ext. De consang. & affin.* Cum enim jus commune favorabile sit, ut pote ab omnibus ob publicam utilitatem receptum; certe quae juri communi refragantur, tamquam odiosa restringenda sunt, & quantum fieri potest, interpretatione revocanda ad commune: sicut latius supra explicavimus, *ad c. Privilegia & ad cap. Odia.*

Ex aequitate hujus Reg. profectum est, quod licet mulieri liberisque suis privilegium competat, ut in dote reperenda praferantur creditoribus, etiam anteriorem hypothecam habentibus; non tamen idem communicetur aliis haeredibus mulieris, *l. unica C. De privilig. dor.* siquidem illud

privilegium juri communi derogat, quo is, qui prior est tempore, potior est jure, *l. Posteriori. D. Qui prior in pig. hab. l. Si generaliter 6. C. d. tit. cap. Qui prior inf. h. tit.* Et cui dispensatio facta est ad dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum, nulla mentione facta curati beneficii, non potest ad curatum admitti, *cap. In illis 16. De praeben. in 6.* nec ad plura beneficia, quam unum, *cap. 1. §. illa verè De fil. presby. in 6.* Dispensatio enim utroque casu dicitur jus commune.

Quod spectat, quod à Pomponio J.C. responsum est in *l. Patri 10. D. Ad L. tul. de adulter. Patri,* inquit, datur jus occidendi adulterum simul cum filia, quam in potestate habet. Itaque nemo alius & parentibus idem ius faciet, sed nec filius familias pater. Cum enim juri communi adversum sit, ut pater filiam vel alium quemlibet occidat, certe lex Julia, quae facultatem dat patri occidendi adulterum unà cum filia, quam in potestate habet, meritò ad alios parentes non transfertur, ex ratione hujus Regulae nostrae. Tametsi si veritatem ipsam spectemus, ac quidem ipsi patri filiam in potestate sua constitutam adulteram occidere liceat, *per text. in can. si quod verius XXXI 11. quaest. 1.*

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

EAdem Regulae apud Justinianum extat in *l. fin. C. De auctoritate praesam.* Neque enim alteri per alterum iniquis conditio inferri de-

bet, *l. Non debet alteri 74. D. hoc tit.* neque id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri, *l. id quod nostrum 11. D. eod.* Ad hanc Regulam pertinet

pertinet responsum Ulpiani: In concedendo jure, inquit, aqua duranda, non tantum eorum, in quorum loco aqua oritur, verum etiam eorum, ad quos ejus aqua usus pertinet, voluntas exquiritur, id est, eorum, quibus servitus aqua debetur: nec immerito; cum enim minuatur jus eorum, consequens fuit exquiri, an consentiant. textus in l. In concedendo 8, D. De aqua & aqua plu. arc. hinc quod Accursius annotavit, scholarem invito socio non posse inducere in honestam mulierem in communem domum, ad l. Non aliter 7, D. De usu & habitas. Hinc Capitulares & alii, quorum interest, ad electionem Prælati vocandi sunt, c. Quia propter 42 c. Quod sint 28, in fine Ext. De elect. Ubi tamen res Capituli vel Collegii tractantur, sufficit majori partem consentire, reliquis licet dissentien-

tibus, d. cap. Quia propter & c. i. c. fin. De his qua fiunt à majori parte Cap. & l. Quod major 19, D. Ad municip. Quæ est una limitatio hujus Regulæ nostræ; ut scilicet non obtineat in rebus Collegii, sed quæ ad singulos privatim pertinent. Altera est in l. Et suum 8, §. Marcellus cum 3, l. seq. D. De pactis. ubi conventio majoris partis creditorum de remissione debiti hæredi faciendâ, nocet reliquis creditoribus Sed id fit liberationis favore. Tertia est in l. fin. C. Qui bonus ead. poss. ubi & statuit majori parti creditorum adversus reliquos. Verum id, ne ad debilem bonorum cessionem debitor urgeatur. Singulare quoque est in filco, utis invito socio possit rem communem alienare, l. unica C. De vendit rei fiscal. quod & in favorem fisci receptum est.

REGULA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

Non dissentit Regula Juris civilis: Semper in obscuris, inquit, quod minimum est, sequimur, l. Semper in obscuris 9, D. hoc tit. Obscura hic dicuntur, quorum sententia incerta est, quæque nunc in hanc, nunc in aliam partem pertrahi possunt. Ne igitur res propter obscuritatem pereat, benigne receptum est, ut saltem id, quod in sententia minimum est, hoc est, minus nocet reo, sequamur; quippe procliviores esse debemus ad liberandam quam ad condemnandum, l. Arrianus 46, D. De oblig. & act. cap. 3, §. pen. Ext. De probat. & favorabiliores sunt partes rei quam actoris, l. Favorabiliores D. hoc tit.

Latissimè hæc Regula se diffundit ad contractus, ad ultimas voluntates, ad sententias Judicum & arbitrorum, ad pœnales constitutiones; ut in progressu declarabitur. Ut autem plenius hæc Regula cognoscatur, præmittenda est alia juris Regula ab Ulpiano tradita, his verbis: Semper in stipulationibus & in ceteris contractibus id sequimur, quod actum est; aut si non pareat, quod actum est, erit consequens; ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id quod minimum est, redigenda summa est. Ita Ulpian in l. Semper in stipulationibus 34, D. hoc tit. qui quo ordine in interpretatione contractus procedendum sit, eleganter explicat. Et quidem ante omnia id spectandum & sequendum censet, quod inter contrahentes actum fuit, etiam si forte proprietate verborum

abusi sint, l. Insulam 6, D. De præscript. verb. toto tit. Plus valere quod agitur, l. In venditionibus 9, vers. plane si in nomine D. De contrah. empte.

Etenim contractum potissimum ex mente contrahentium metimur, l. 1, §. conventionis D. De pact. quemadmodum & ea, quæ ultimæ dispositionis sunt, ex voluntate ipsius defuncti, l. Non aliter 69, in princ. De leg. 3, Dum tamen meminimus, non tantum eam voluntatem contrahentium & testantium intelligi, quæ ex perspicuis eorum verbis colligitur, sed & quæ ex conjecturis; utputa ex more loquendi, ex orationis contextu, l. Si servus plurium 50, §. ult. De leg. 1, l. Nummus 75, De leg. 3, l. Tutia 134, §. 1, & fin. De verb. oblig. ex dignitate, qualitate vel affectu personarum, d. §. ult. & l. Cui 14, D. De annuis legat. l. 3, Cod. De dotis promiss. l. Cum post 69, §. gener. D. De jure dot. l. Capienda 129, D. hoc tit. De reg. jur. ex eo, quod plerumque fieri solet, d. §. ult. & d. l. Nummus, l. In obscuris 114, D. hoc tit. Nam huc spectat illa juris Regula: Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit, in cap. Inspicimus in eod. Deficiente autem voluntate, tandem fit locus nostræ Regulæ, ut in obscuris id sequamur, quod minimum est; in obscuris inquam, quorum sententia neque ex verbis ipsius, neque ex alia conjectura colligi potest; ne huic adversetur citata regula Inspicimus, & c.

Adde, & ad sententias Judicum & arbitrorum, si inter se discrepantes sint, Reg. nostram pertinere; ut si in condemnatione dissident, mi-

B b b b

numera

nam summam sequemur, *l. Inter 38, D. De re jud. l. Diu proferre 27, § si plures D. De recept. arb.*

Non minus & ad pœnales constitutiones hæc Reg. producitur; quæ quandoque dubiam interpretationem habent, nunc severiorem, nunc mitiorem, ut ea, quæ mitior, id est, minima est, à Judice eligatur, *secundum cap. In pœnis inf. eod. Et l. Interpretatione 43, D. De pœnis. Cui consequens est, ut, si in delinquentem simpliciter pœna capitalis sive capitis à lege constituta sit, non mortem, sed exilium, hoc est, aquæ & ignis interdictionem intelligamus; nam utraque pœna capitalis est, eò quod eximat caput, id est, civem de civitate, *l. 2, D. De publ. jud. Vnde Jul. Clarus in pract. crim. quæst. 67. in princ.**

Adversus Regulam nostram objicitur textus in *l. Etiam 43, D. De usufr. ubi bonorum usufru-*

ctus parte legatâ, intelligitur in dubio dimidia pars. At juxta Regulam nostram non dimidia, sed minima pars accipienda esset. Sed non difficilis responsio est, quia pars ex propria significatione sua æqualem partem designat, legitur dimidium; nisi ubi specialiter certæ partis mentio facta est, *l. Nomen 104, §. D. De verb. signifi.*

Item objicitur textus in *l. Legato generaliter 37, D. De legat. 1, quo legato hominis relicto non optimus, acque pessimus, sed mediocris præstatur. Sed hoc evincit, ne si legatario pessimus detur, non tam officiosus commodo, quam incommodo, contra voluntatem defuncti, quam pleasus interpretari solemus, *l. In testamentis D. hoc tit. Cætera hic persequere apud D. Peckium, & quæ infra eodem dicam, ad e. Contra eum 58, quod huic conjugendum est.**

R E G V L A XXXI.

Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

Exempla hæc accesserunt ex *c. Si duobus 7. Ext. De appellat. ex cap. fin. Ext. De locato, ex l. 1. in fin. D. De action. empti. Et aperta ratio est, quia id frustra fieret. Ubi tamen ad alium effectum principaliter, quàm scientiæ agitur, alia certioratio requiritur: veluti, ad inducendam contumaciam contra reum absentem tribus edictis opus est; nisi forte uno peremptorio citaretur, quod Jdex potest, *l. Contumacia 53, D. De re jud. junctâ l. Ad peremptorium 68, cum aliquot ill. seqq. D. De judic. Item contra Clericum delinquentem, antequam is clericali privilegio exui possit, tria monita exiguntur, *cap. Contingit 45, Ext. De sentent. excom. junctio cap. Constitutionem 10, eod. tit. in 6. Item, qui à Jdice Ecclesiastico excommunicandus est tertio***

quoque præmoneri debet, *cap. Sacro 48, Ext. De sent. excom. junctio d. c. Constitutionem*; siquidem ad convincendam contumaciam hæc toties repetuntur; nõ vero, ut qui ex primo vel secundo edicto sive monitione, jam certiores facti sunt, iterum certiorentur. Pari ratione ubi pro solemnitate certioratio requiritur, non sufficit scientia; ut in testamentariis testibus, qui non nisi rogati testamentis adhibentur, *l. Harides 21, §. pen. D. Testament. Auth. Rogati C. De testib. & in venditore, qui evictiois nomine non tenetur, nisi ante emptor intentatam sibi litem illi denuntiaverit, *l. Emptor fundi 9, cum l. seq. C. De evict. c. fin. Ext. De empt. & vendit.**

R E G V L A XXXII.

Non licet actori, quod reo licitum non existit.

Eiusdem sententiæ est Regula Ulpiani: *Non debet actor licere, quod reo non permittitur, l. 41, D. hoc tit. Si enim favorabiliores sunt partes ipsius rei, quàm actoris, *l. 125, D. hoc tit. prole. Ad actori minus permittenda est, quod reo non permittitur. Cujus rei elegans rescriptum extat in cap. 2. Ext. De mutuo pet. quo responsum est à Cælest. no III. ut à institutâ causâ, quæ remorâ appellatione delegata est, reus eundem actorem**

coram eodem Jdice reconveniat, hanc reconventionem similiter peragendam esse, ut neque actori in causâ reconventionis appellare liceat. Cum actoris & rei, inquit, eadem sit conditio: *Et si reus desiderat actor, ut sibi juxta mandatorum rescriptum justitia fiat, appellatione remorâ, eodem modo reconvenienti debeat in sua justitia respondere. Quâ ratione Ulpianus, cum antea in reo respondisset, ne is possit tem confestam mutare procuratorem, vel in se*

licet

litern transferre possit, invito procuratore, præterquam causâ cognitâ, in *l. Post litern 17, cum aliquid* *ll. segg. D. De procurator.* hoc idem paulò pòtst trahit ad actorem, *l. Quæ omnia 25, D. eod.* Similia brevitatibus studio omittimus.

Quæ tamen ita accipienda sunt: nisi major ratio sit in actore, ut ab hac regula discedendum sit. Ut ecce, reo permissum non est, ut rem, quæ in iudicio obscure petita est ab actore, ipse delinnet vel explicet, sed a iudice, *l. Inter stipulantes 83, §. 1, D. De verb. oblig.* Ratio, ne reus actionem propositam interpretando pro suo arbitrio, eludat iudicium, & actorem circumducatur, *§. 1, Hinc*

quoque, si reus plures Iudices ordinarios habeat, non est in electione ipsius, coram quo conveniatur, sed in arbitrio actoris, *l. fin. C. Vbi in rem actio, l. Quod legatur 38, D. De iudic.* Præterquam si reus studiosus sit, cui ex Friderici constitutione ex tribus Iudicibus, Magistro scilicet, Domino, & Episcopo, quos Ordinarios habet, electio permittitur, idque in favorem studiosum, *Auth. Habitu C. Ne filius pro patre.* Quo tamen iure in hac Academia Ingolstadtensi non utimur, sed omnes Studiosi uam tantum agnoscunt Iudicem, Magnificum Dominum Rectorem Academicum.

REGULA XXXIII.

Mutare consilium quis non potest in aliterius detrimentum.

Pertinet ad Regulam, *Quod semel placuit, susp.* *ead. ubi latius uide.* A contratio uero sensu eleganter inferitur; Si nullum detrimentum sit, nulla captio alterius, mutationem consilii impunè fieri posse, *l. De atate 12, D. De interrog. in iu-*

re facien velus in deposito, §. in mandato societate, quæ pro arbitrio ejus, qui deposuit, mandavit, vel societatem coit, revocatur, re adhuc integra, sicut ibidem diximus,

REGULA XXXIV.

Generi per speciem derogatur.

Genus hoc loco, ut & passim apud J.C. non accipitur pro genere Logico siue Dialectico; sed pro eo, quod plura singularia nomine suo complectitur, siue sit species Logica, ueluti homo, equus, & similia; siue aliud æquè latè patens, ut sunt vestis, triticum, pecunia numerata, re scriptum, mandatum. Species uero dicitur, quod sub hoc genere tamquam individuum siue singulare continetur, *l. 2. l. 3, D. Si cert. pot. l. In uauve 1, D. Locati.* Itaque de his dicitur, generi per speciem derogari. Explicatius Pomponius: *In toto iure, inquit, generi per speciem derogatur; Et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est, l. In toto iure 80, D. hoc tit.* Exempla hujus Regule petenda sunt ex *cap. 1, in fine, ex cap. Pastoralis 14, §. 1. Ex De rescript. ex cap. 1, De offic. leg. ex cap. Unum 14, De præben. lib. 6,*

quod fit, ut si uni penus legata sit, alteri uinum, quod ex peno legata uinum eximatur, *l. 2, D. De tritico. uino.* Et cum alioqui uinum sub peno tamquam sub genere suo contineatur, *l. 2, D. De peno leg.* Item, si uni uerimenta, alteri ueris muliebris separatim sint legata; quod detractis

muliebris ab eo, cui specialiter ea legata sunt, reliquum alteri cedat, *l. 1, De auro arg. leg.*

Neque interest, species præcedat, an subsequatur genus, iam ad iurib. *Ex cap. Abbatem 40, Ext. De reser. l. uxorem 41, §. codicillus cum §. seq. D. De legat. 30 text. elegans in l. Sanctio D. De penus.* Licet enim alias specialia generalibus inesse dicatur, *l. Semper specialia 47, D. hoc tit.* id tamen non tam ex dispositione loquentis, quam vi uerborum fit, quæ generaliter prolata, generaliter accipi solent, *l. 1. §. generaliter D. De leg. præst. l. 14, C. De usufr.* At secius est, ubi expresse species à genere eximitur, quo casu generi quoad speciem derogatur, & res in speciem dirigitur, *iuxta hanc regulam nostram.*

Nec mouet textus in *l. Si generaliter 6, Cod. Qui potior in pign.* Nam ideo pignori generali per speciale non derogatur, quod jus pignoris generalis jam antè aduersum sit creditori priori. At certè iniquum esset, jus alteri quaesitum, illi auferri, per hanc Regulam nostram, quæ de iure nondum quaesitum alteri exaudienda est, *uti constat ex iurib. antea alleg.*

E b b b z

R E

REGULA XXXV.

Plus semper in se continet quod est minus.

Hic Regulae similis illa est: In toto partem non est dubium contineri, *cap. In toto inf. eod.* Ex quibus tandem tertia Regula exsurgit: Cui licet quod est plus, utique licet quod est minus, *cap. Cui licet inf. eod.* Nec enim plus & minus, totum & sua pars, separatim quid a se invicem constituunt, sed unum ab alio continetur. Ut hinc rectè ab Ulpiano responsum sit: Si stipulanti decem ego viginti respondeam, quod obligatio in decem contrahatur, cum manifestissimum sit viginti & decem inesse, *l. 1, §. stipulanti D. De verb. oblig.* Idem & in fidejussore rectissime dicitur, ut, si is in majorem summam rogatus, in minorem fidejubeat, quod in minore summa consistat fidejussio, sicut aperta est Juliani sententia, in *l. Rogatus 33, D. Mandati*, & confirmat responsum Ulp. jamjam allatum. Inde quoque est, si debitoris gratiâ debiti solutio prorogata fuerit ad certum tempus, quod nihilominus a debitore rectè solvi possit ante tempus, *l. Eum qui 55, D. De annuis leg. l. Cui libet quod plus est, & c. hoc tit.* Sic Papin. inquit, Qui occidere potest adulterum, multo magis contumeliâ poterit jure afficere, *l. Nec in ea 22, vers. sed qui D. Ad L. Iul. de adul.* Ceterum hæc aliaque familia accipienda sunt, nisi diversa ratio subit in eo, quod minus est. Ut ecce,

Mulieri quidem permissum est, ut res suas donare, vel aliter distrahere possit, *l. 4, D. Ad SC. Vellejan. l. 2, D. eod.* non tamen pro alio obligare; eod quod hoc mulieri facilius sit, & idcirco magis nocivum, quam alterum, *d. l. 4, in fine.* Item permissa est hæredi totius hæreditatis aditio vel repudiatio, non autem hujus aut alterius partis hæreditariæ, *l. 1, §. l. 2, D. De acquir. vel omitt. hæred.* idque facit succedendi jus, quod pro parte agnosci vel refutari non potest, præcipue ex testamento; ne defunctus pro parte testatus, pro parte intestatus decessisse dicatur, contra Juris regulas, in *l. Ius nostrum D. hoc tit. & §. non autem Insti. de hæred. insti.* Item, mandato de fundo emendo certum factis sit quidem; si etiam minoris fundus ematur, *l. Diligenter 5, §. fin. D. Mandati*, artamen si mandatum sit, ut alicui non Sacerdotalis præbenda, vel integra præbenda, vel certi valoris conferatur, non poterit illi Sacerdotalis, nec dimidia, non minoris valoris, etiam volenti præbenda conferri: cum hæc in re diligenter mandati fines observandi sint, propter personam ejus, cui conferri mandatum fuit, quem alio modo honorari noluit mandator, *c. Cui 27, De præben. lib. 6.* Quare ubi diversa ratio in minori subest, disceditur a Regula nostra.

REGULA XXXVI.

Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.

Plenius Paulus: Qui dolo, inquit, deserit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolo est, in *l. Qui dolo D. eod.* Et Ulpian. Parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat vel habeat, ac que eius, cuius dolo factum sit, quo minus possideret vel haberet, *l. Parem D. eod.* Et rursus: Semper qui dolo fecit, quod minus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet, *l. Ad ea qua §. 1, D. eod.* Usus hujus Regulae cernere est in rei vindicatione, *l. Quod si dolo 22, cum l. præced. & l. Sin autem 7, §. sed & is D. De rei vind.* in peritione hæreditatis, *l. Item veniunt 20, §. præter hæc 6, vers. item eos, l. Sed etsi 25, §. perinde D. De petit. hæred.* in actionibus ad exhibendum, *l. 3, §. si mecum & l. Cel-*

us 5, §. idem Iulianus D. Ad exhibend. noxali, l. Si bona fidei 12, D. De noxal. act. rerum amotarum, l. 3, in fine cum l. seq. D. Rerum amot. in interdiciis, Quorum bonorum, *l. 1, D. Quor. bonor.* Quorum legatorum, *l. 1, §. quod aut præter D. Quor. legat.* & ne quid in loco publico, *l. 2, §. locum habere D. Ne quid in loco publ.* Et ratio Regulae est, ne dolo suo dolo profit & alteri incommodum adferat, *l. 1, §. 1, D. De doli mali & met. except.* Ex quo sequitur, eodem modo eum condemnandum esse, ac si verè possideret, *d. l. Qui dolo, licet æstimatio in rei executionem veniat, l. Qui restituere 68, & qua ibi tradunt DD. De rei vind.*

Ampli-

Amplius, qui dolo possidere desit, tenetur actione in factum ex edicto de alienatione iudicii mutandi causa facta, in id, scilicet, quanti interest actoris, rem alienatam non fuisse, *toto tit. D. & C. De alienat. iud. mutandi causa facta*. Sed id non aliter, quam si reus difficiliorem adversarium sibi substituerit, ut potius actor cum eo litem in-

cipiat & experiatur, *l. 1. cum l. seqq. D. d. tit. De alienat. iud. mut.* Nihilominus & is, in quem res alienata est, recte convenitur rei vindicatione propter dominium, quod sibi actor in re alienata retinuit, *l. unica C. d. tit. De alienat.* Quod enim nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, *l. id quod nostrum D. hoc tit.*

REGULA XXXVII.

Vtile non debet per inutile vitiari.

HUc refer textum in *cap. 5, Ext. de arbitr. & in cap. Dilatus 19, Ext. De probat.* Et quod a Justiniano discretè constitutum est in donatione, quæ legitimam modum excedit, ut, scilicet, quoad excessum tantum donatio, quæ insinuata non est, vitietur, *in l. Sancimus 14, juncta l. pensit C. De donatio*. Et quod Paulus J.C. respondit de illicitis usuris fortè mixtis, quod usuræ quidem improbatæ sunt, sed non ipsa fors sive contractus principalis, *l. Usuras 10, D. De usuris*. Similiter, ubi illegitimæ usuræ legitimis permixtæ sunt, sustinentur quidem legitimæ, sed detractis superfluis usuris, ex Papiniani responsò, *in l. Pecunia 9, D. d. tit. Quolictet non utamur*, eodè quod omnes usuræ ex præscripto SS. Canonum illicitæ sint, *tit. De usur. Ext. & in 6*, non tamen inutiliter hæc res accommodatur ad emptionem reddituum sive censuum, quæ à jure Canonico permixta est, *per text. in cap. 1, & cap. 2, De empte in Ext. commun.* Ut si redditus vel census constitutum modum excedat, non in totum vitietur, sed ad justum modum reducat, *arg. d. l. Pecunia. Adde And. Gail lib. 2. Observ. 5*, Quæ omnia & alia ejusdem generis æquitate hujus Reg. nituntur. Semper enim ea interpretatio adhibenda est, ut actus potius valeat, quàm pereat, *l. Quoties in*

actionib. 13, D. De rebus dub. Si tamen utile ab inutili separari possit. Nam quæ separationem non admittunt, in totum vitiantur, ut in exemplo Ulpiani, *in l. 1, §. item quaritur D. De aqua quodid.* Idem est, & si contra formam utilis, inutile admixtum sit; ut in electione Episcopi, ubi ad eam laici admittuntur, *cap. Massana 56, Ext. De elect.* aut si natura utilis adjectionem omninò respuat; veluti in emancipatione, acceptilatione, hæreditatis aditione, datione tutoris, quibus si dies vel conditio adjiciatur, inutiliter fiunt, *l. Actus legitimi 77, D. hoc t. Vide latius quæ infra dicam ad cap. Actus legitimi.* Aut si inutilis adjectio interpretatur id quod alioqui per se utile est, inutiliter fieri ex mente contrahentium, sicut videre est in responsò Martiani J.C. cujus verbâ hæc libet subjicere: *Non solum, inquit Martianus, stipulationes impossibili conditioni applicata nullius momenti sunt, sed etiam ceteri quoque contractus: veluti emptiones, locationes, impossibili conditione interpositâ, a quæ nullius momenti sunt; quia in eare, quæ ex duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur. Quorum procul dubio in hujusmodi actu tam cogitatio est, ut nihil agerent, appositâ eâ conditione, quam sciunt esse impossibilem. text. in l. Non solum 30, D. De oblig. & act.*

REGULA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisi extitit impugnate.

Exemplum est: Si quis instrumentum aliquod impugnaverit, non poterit eodem uti pro se, *c. Cum olim 9, Ext. De censib.* Nec is, qui fidem utrimque datam rupit, adversarium suum adigere poterit, ut eam servet, *l. pen. D. De gran. act. l. Cum proponas inser. 21, C. De pac. Frustrâ, inquit alia juris Reg. sibi fidem quis postulat ab eo*

servari, cui fidem à se præstitam servare recusat, c. Frustrâ inf. eod. In testamentis usus hujus Reg. vel præcipuè spectatur. Qui enim testamentum falsum aut inofficiosum dixit, non tantum repellitur ab eo, quod in eodem testamento ipsi relictum est; verum etiam si fortè id ipsum consecutus sit, ipsi auferretur & fisco applicatur, *l. Papinian.*

Bbbb 3

8, §. mo-

2, §, meminisse D, De inoff. test. l. Post legatum §, §, 1, D, De his quibus ut indig. l. Qui falsa 6, C, Ad leg. Corn. de fals. Eo enim ipso, quod quis impugnat fundamentum juris sui, videtur illi tacite renuntiassse, d. c. Cum olim circa fin.

Non tamen idem obtinet, ubi quis non iure factum testamentum coartedit, sed non obtinuit: siquidem non coartetur idem defuncti voluntatem impugnasse, sed de iure testamentari coartedit, d. l. Post legatum §, 1, et l. pen. D, De his quib. ut indig.

aut si necessitate officii coactus quis testamentum alterius oppugnaverit, ut in tutore & curatore, §, si inter Inst. De inoff. testam. l. Adversus 30, §, 1, D, eod. De inoff. testam. l. Cum quadam 26, Cod. de admin. instor.

Adde, huic Reg. locum non esse, ubi quis ante sententiam destitit ab impugnatione; eo quod jura poenitenti & desistenti ignoscant, d. §, meminisse, et l. Alia 8, C. De his quib. ut indig.

REGULA XXXIX.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo:

Theodosius & Valent. Imp. Nullum enim pactum, inquit, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsertum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Et paucis interjectis: Sed & si quid fuerit subsertum ex eo, vel ob id, quod interdici lege factum est, illud quoque casum atque inutile esse precipimus. Secundum itaque praedictam regulam, quae ubicumque non servari factum lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti, nec sacramentum admitti, text. in l. Non dubium §, C. De legib. Ratio est in l. Cum principalis D. hoc nostro tit. in cap. Accessorium, infra eod. ubi fustus persequemur.

Et secundum hanc regulam; Si res Ecclesiae vel minoris 25, annis, non servata juris solemnitate vendita, commutata vel donata fuerint, quia contractus non coartitur, nec dominium ex eadem causa transfertur, cap. Si quis 6, Ext. De reb. Eccles. non alien. l. Lubemus 4, §, sane C. De SS. Eccles. l. 4, l. 8, C. De praed. et aliis reb. min.

Necia diversum movere textus l. 2, C. De cond. ob turp. caus. l. Si ob turpem 8, D. eod. ubi ex con-

tractu turpi & subsequenter nullo, res in accipientem ita transit, ut eius repetitio cesset; quia id accidit propter aliam iuris regulam: In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis, c. In pari inst. eod. l. In pari et l. Cum par D. hoc tit. Adeoque turpitudine efficit, ne res data repeti possit, l. 2, et l. 8, D. de cond. ob turp. caus. Sic & possessio rei a marito donatae uxori transit in uxorem; non quidem ratione contractus donationis, qui a iure improbatu est, tit. D. et C. De donat. inter vir. et uxorem sed ex eo capite, quod maritus uxori rem tradendo, abdicaverit a se possessionem rei, & uxori permissit, l. 1, §, si vir D. De acq. vel omis. poss. siquidem ex se pendet possessio, non verò ex contractu.

Neque impedit textus in l. Multum interest 6, Cod. Si quis alteri vel sibi: ubi ex praecedente contractu emptionis a marito, nomine uxoris perperam inito, dominium transfertur in recipientem, sive is maritus sit, sive uxor. Nam id fit, non tam vigore praecedentis contractus, quam ex novo consensu, qui tempore traditionis tacite intercessisse intelligitur, Barr. ad l. Non dubium, C. De legib.

REGULA XL.

Pluralis locutio, duorum numero est contenta.

Hae Regula in eisdem verbis extat in l. Vbi numerus 12, D. De testib. Exempla requiritur ex c. Is cui 9, circa fin. De praed. lib. 6, ex can. 61 Hoc quoque, de conserr. dist. 1, ex l. Inter aliam 217, in fine D. De verb. signific. ex l. Liberos 17, §, fin. D. De manum. testam. Idque idem, quod in obscuris id quod minimum est, sequamur, at supra exposi-

tum est, eod. ad c. In obscuris, Neque enim Reg. nostra ad illas species pertinet, quae certum numerum testium expressè requirunt; veluti in testamentis, in quibus regulariter septem testes, in codicillis & donationibus causa mortis quatuor exigunt, l. Hac consultiissima 21, C. De testam. l. nisi circa fin. C. De codicil. l. vlt. C. De donat. caus. mort. et aliis

aliis quibusdam casibus, de quibus apud Glos. & Dd. hic.

Ubi itaque lex vel conventio partium, pluralis numeri meminit, in dubio ad hanc Regulam confugitur, ut scilicet, duo sufficiant, *jurib. ante alleg.* Neque enim hæc pluralitas ad Græcorum loquendi usum revocari debet, qui si de duobus sermo est, duali; si de tribus vel plu-

ribus, plurali numero regulariter uti solent.

Sed neque ad pronomina pertrahenda est, ut sunt *nos, vos, nostrum, vestrum*: quæ etsi naturâ suâ plura denotent, in Pontificibus tamen & Principibus, aliisque insignioris notæ viris, ubi vel ipsi loquuntur, vel ad eos sermo est, non pluralitatem designant sed majestatem, sive dignitatem.

REGULA XLI.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

Sumatur exemplum ex c. 1, *Ext. De clerico agrot.* Quo Clericus ægritudine impeditus beneficii sui fructus percipit; quia per eum non stat, quod minus Ecclesiæ inserviat. Et ex responso Pauli J.C. de servo, cui libertas legata est, si uno anno hæredi inservisset; Si enim propter valetudinem, aut aliam justam ob causam servitute non possit, quod nihilominus hoc tempus anno imputetur, *ext. est in l. 4, §. Stichus si hæredi D. De statu lib.* Similiter is, cui parochialis Ecclesia collata est, licet intra annum ad præ possessionis cogatur ordinem presbyterii suscipere, excusatur tamen, si justâ ratione præpediatur, *c. commissus 3, §. 2, De elect. lib. 6.* Hinc rectè quoque dicimus, non valenti agere non currere præscriptionem, *ext. l. 1,*

§. fin. C. De annali præscript. adde Gl. & Atlicianus 35 D. De servit. rustic. præd. Hæc enim & id genus alia, ad hanc Reg. pertinent. Quæ tamen si facta tertii evenerint, magis est, ut impedito impotentur, *l. 2, §. fin. D. Si quis cautionib. vide ibi Castren. & alios*; licet in integrum restitui possit, *l. 1, §. passim D. Ex quib. caus. majores.* Quod si ipse hoc effectavit aut causam præstitit, non est, quod illi succurratur; propter juris sententiam, quæ casus illi adscribitur, cujus culpâ accidit, *cap. unico D. De commod. cap. 2, Ext. De disp. in V. culpa, adde Glos. ad l. 5, §. sed interdum D. Commod. neque excusati meretur, qui sibi necessitatem iniecit, l. Si fidejussor 7, §. 1, in fine D. Qui facildare cog. adde l. 2, §. si quis tamen D. Si quis cautionib.*

REGULA XLII.

Accessorium naturam sequi congruit principalis.

Prinipale appellamus, quod in re præcipuum est, & quasi causa illius, quod accedit. Horum itaque ea ratio se connexio est, ut, principali posito vel infirmato, itidem accessorium ponatur vel infirmetur. Varia hujus Reg. exempla utroque jure extant. Ut ecce, gratia S. Pontificis, sicut ejus mortem non expirat, ita neque executorum in eam rem datorum potestas, quæ accessoria est, *c. Si super 9, Ext. De off. & pot. jud. deleg.* Item mandatâ causæ cognitione, & citatio partium & coercitio contumacis, aliaque, quæ ad ipsam causam spectant, tacitè continentur, *cap. 5, Ext. eod.* Item prædium legato vel vendito, comitatur & hortus, servitutes, reliquaque ad prædium pertinentia, *l. Prædium 91, circa fin. D. De legat. 3, l. pen. §. 1, D. Si servit. vind. l. Si æquiductus 47 in fine cum 2, l. segg. D. De contrah. empt. l. Creditor 52*

§. fin. D. De action. empt. Neque interest, quanti sit accessorium, sive plus in eo sit, quam in principali, sive minus, *l. Cum aurum 19, alias incipit, Esti non sunt §. pervenimus D. De auro & arg. leg. junctâ l. Si in emptione 34, circa princ. D. De contrah. empt.* Exceptâ tamen fidejussione, quæ in majorem summam sive causam daretur, quam est obligatio principalis, contrahi non potest, *§. fidejussores Inst. De fidejussor. l. Gracè §. illud D. eod. tit.*

Exempla de sublato vel vitiatò principali hæc adferri possunt. Liberato reo liberantur & fidejussor, *re Inst. Quib. mod. toll. oblig. in princ. l. fin. D. De pact. & pignora, l. Acceptam 19, C. De usuris, l. Item liberatur 6, §. 1, D. Quib. mod. pign. vel hypoth. sol.* Rupto paterno testamento, quod principale est, concidunt & pupillares tabulæ, quæ accessoriae sunt, *l. Papinianus 8, §. sed nec impuberu D. De inof. ta-*

stam. & s. liberis Inst. De pupil. substit. Et matrimonio si non substitit, nec dos, nec donatio propter nuptias intelliguntur, cap. 5, Ext. De donat. inter vir & uxorem, l. 4, C. De incest. & mut. nupt. l. 3, D. De iure dot. Aliaque ad illustrandam hanc Reg. adferri possunt, quæ consulto brevitate caula omittimus.

Quæ tamen ita exaudienda sunt; nisi & ipsum accessorium certa quadam ratione principale sit, ut in specie cap. Debitorum 6, Ext. De iurejur. ubi iuramentum de solvendis usuris impleri iubetur, etiam si ipsa obligatio usuratum, cui accedit, non substitit. Quia id evenit, quod ex iuramento propria obligatio nascatur inter Deum & jurantem, sicut indicat cap. Debitorum in verb. domino reddere iuramentum, can. Si peccatum 21, qu. 1. Matth. 5, paulo post med. Idem accidit in alienatione dotis, & renuntiatione paternæ hæreditatis; quæ etsi ipso iure nullæ sint, sustinentur tamen propter accessionem iuramenti, cap. Cum contingat 28, De iurejur. cap. 2, De pact. lib. 6, quia, ut dixi, ex iuramento propria obligatio nascitur. Hinc generaliter à SS. Canonibus servari iubetur iuramentum, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, nec redundat in alterius detrimentum, d. cap. Cum contingat in fine & in d. cap. 2, adde cap. 2, De iurejur. in 6, In stipulatione facta alteri idem videmus; quæ licet per se non valeat, ubi tamen stipulatio pœnæ illi adiicitur, statim prior stipulationi metu pœnæ adjectæ: siquidem pœnalis hæc stipulatio quamvis accessoria videatur, verè

tamen principalis est, cui altera, quæ ipso iure non valet, per modum conditionis inest, s. alteri Inst. De inutil. stipul.

Illud Doctorem ingenia fatigat, cur contractibus à minoribus xxv. annis sine tutoris vel curatoris auctoritate celebratis, fideiussor, l. Si pupillus 127, D. De verb. oblig. junct. l. Quod pupillus 41, D. De condic. indeb. & pignus accedere possunt; l. Esit 9, C. De prad. & alia reb. min. Rationem verò ego hanc video, quod minores ex suo contractu naturaliter saltem obligentur, l. 1, D. De novat. naturali obligationi fideiussor rectè accedit, l. Insti in princ. De fideiussor. quemadmodum & pignus, l. Res hypotheca 5, l. Quasitum 14, D. De pignor. Neque refragatur textus in d. l. Quod pupillus 41, D. De condic. indeb. ubi dicitur, pupillum promittentem sine tutoris auctoritate ne naturâ quidem debere: quia hoc verum est, quoad pupilli personam, quam lex obligationi naturali eximit; si ve, ut rectius dicam, effectum naturalis obligationis quoad pupillum impedit, non verò quoad intercessorem pupilli, cujus respectu naturalis obligatio ex contractu pupilli effectum suum retinet, cum lex tantum liberare velit pupillum, non intercessorem ejus. Sic omnis difficultas, quæ contra hanc Reg. ex l. Si pupillus D. De verb. oblig. junct. d. l. Quod pupillus & l. Esit 9, C. De prad. & al. reb. minor. concitatur, faciliè submovetur, Adde quæ suprâ retulimus, ad c. Cum quid prohibetur eod.

REHVL A XLII.

Qui tacet consentire videtur.

Hæc Regula si nūdè inspiciatur, defendi non potest: igitur ad certas species coartanda est. Etenim multis casibus accidit, ut sciens & tacens non censetur consentire; qui alibi recensentur, in l. Sicut 8, §, non videtur D. Quib. mod. pig. vel hypoth. sol. in l. Filius familias 8, §, murus D. De procur. in l. 4, D. De servit. urb. in l. penult. D. De furt. adde & can. 77, de consec. dist. 4, Quorum ea ratio est, quod nemo in dubio præsumatur taciturnitate sua se obligare velle, vel aliter sibi obesse, arg. l. Cum de indebito 25, D. De probat. & l. fin. C. Unde vi. Itaque ut huic Reg. locus sit, necesse est in

tacente & coniecturam aliquam concurrere, quæ consensus suadeat; veluti est inter coniugatos, ut in l. Filius familias 10, D. Ad S. C. Maced. in l. 2, D. Ad municip. in l. 1, C. De decurion. in cap. unico §, porri De respons. impub. lib. 6. Item cum de tacente utilitate agitur, ut in l. Si remunerandi 6, §, si passus D. Mandat. vel de favore rei, qui absens constituit procuratorem, datis ad eum literis. Nam hic sciens prudensque literas recipiens, neque protestans, censetur tacite in se suscipere defensionem rei absentis, juxta cap. 1, De procur. in Clement. Quibus casibus tacens pro consentiente habetur.

REGU;

REGVLA XLIV.

Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

PAulus. *Qui tacet, inquit, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare.* l. *Qui tacet* 42, D. *hoc tit.* Hæc Reg. pertinet ad interrogaciones, quæ fiunt ad eliciendam responsionem; ut, si rogatus quis taceat, non idè pro consentiente vel pro inficiante habendus sit, ut in debitore, qui interrogatus à creditore suo extra iudicium, an debeat, vel an solverit, vel etiam in iudicio, antequam iudex iusserit, non respondeat. c. 2, *vers. verum si De confes. lib. 6.* Ceterum, si jubente iudice taceat, diversum est; cum hoc casu pro confessio habeatur, *juxta d. cap. 2, in princ.*

Sic cum reus ex parte heres est, & interrogatus in iudicio, utrum heres sit, ipse taceat, negantis loco habetur & in solidum convenitur, l. *De atate* l. 1, § *qui tacuit* D. *De interrog. in iure faciend.* Utrumque fit in pœnam contumaciæ non respondentis; ac proinde ab hæc regula nostra rectè disceditur, ne iudicio illi cedat contumacia sua. Neque turbare nos debet superior Reg. quæ tacens pro consentiente habetur: nam hæc regulâ non agitur de consensu tacito, sed illud tantummodò dicitur, tacentem neque fateri neque negare. Quippe confessio & negatio expressæ fiunt.

REGVLA XLV.

Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

Vide quæ scripsimus ad cap. *In obscuris, supra eod.*

REGVLA XLVI.

Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet.

Similis est juris civilis Regula: *Qui in ius donatorumve alterius succedit, iure ejus uti debet.* l. 77 D. *ead.*

Potro in ius succedere dicitur heres, l. *Heres* 43, D. *De acquir. vel om. hered. bonorum possessor,* l. 1, *De bonor. posses. fisci,* quoad bona fisco illata, l. 2, *C. Ad L. Jul. de vi publ.* In dominium verò, puta rerum singularium, donatarius, legatarius, emptor & similes. In illis hæc ratio est, quod in universum jus succedant alteri vicemque ejus sustineant, d. l. *Heres, d. l. 3, juncta l. Nihil* 24, D. *De verb. signif.* Unde & omnes actiones, tam activè quàm passivè in ipsos transeunt: & quod defuncto profuit, vel nocuit, similiter & ipsis prodest vel nocet, l. *Cum heres* 11, D. *De divers. & temp. prescrip.* Exceptis tamen personalibus, id est, quæ personæ defuncti cohærebant, ut sunt privilegia personalia, de quibus ad c. *Privilegium sup eod ubi & latius videt;* ususfructus, usus, habitatio, § *fnitur Inst. De usufructu,* l. *Si habitatio* 10, l. *Vsus* 21, *De usu & habit.* actiones pœnales necdum motæ à defuncto, § *non autem omnes Inst. De perpet. & temp. action. revoca-*

tionem donationum propter ingratitudinem, l. *fn C. De revoc. donat. & similia;* quæ ad alium non transeunt. Quoad singularium rerum successores, eadem succedendi ratio est in iisdem rebus, ut cum causa sua transeant in successorem, sicut Pomponius his verbis indicat: *Alienatio cum fit, inquit, cum sua causa, dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset in l. Alienatio* 67, *De contrah. empt.* Idem sed explicatiùs Ulpianus: *Traditio, inquit, nihil amplius transferre debet, vel potest ad eum, qui accipit, quàm quod est apud eum, qui tradit: si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert: si non habuit, ad eum, qui accipit, nihil transfert. Quoties autem dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradidit. Si servus fuit fundus, cum servitutibus transit, si liber, uti fuit, &c. textus est in l. traditio* 20, D. *De acquir. rer. dom.* Atque hinc fit, ut quæ actoti circa eandem rem petendam vel defendendam competebant, eadem competant & ejus successoribus; l. *In vitis* 156, § *cum quis cum § seq. D. hoc nostro tit.*

Cccc

REGU-

REGULA XLVII.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

Conjungantur hic, quæ diximus ad e. Ignorantia supra eod. Etenim scientia nobis innata non est, sed extrinsecus accedit; proinde allegantur incumbit probatio scientiæ, l. 1, l. 2. Et l. Verius 21, D. De probat. Nisi de eo quæstio vereretur, quod vel publicè actum est, cap. 1, Ext. De postul. pralat. e. fin. Ext. qui matrim. accus. poss. vel proprium factum concernit, l. Quamquam D. Ad S. C. Fellesjan. l. Item quaritur 13, §. item si fullo vers. Et si

pallium D. Locati; vel ex officio incumbere, e. Innotuit 20, Ext. De elect. Quo spectat illud Gregorii: Non potest esse pastor excusatio, si lupus oves comedit. Et pastor nescit in e. Quimirus Ext. De R. l. His igitur casibus non ignorantia, sed scientia præsumitur: adeoque ignorantia probanda est, saltem per iuramentum; cum in animo consistat, e. Nalli De elect. lib. 6, c. 4, Ext. De sent. excem.

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.

Hæc Regula naturali æquitati profus consentanea est, ut Pomponii locus indicat, in l. Nam hoc natura 24, D. De condic. indeb. in l. Iure natura D. hoc nostro tit. Ad hanc illustrandam iuvabit adferre, illud Ciceronis. Detrahere igitur alteri, Et hominem hominis incommodum suum augere commodum magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cæcitas, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis, &c. Videtur hæc Regula hoc traducta ex cap. Suam 16, circa fin. Ext. De penis. Ex qua fit, ut & prædiorum necessarias & utiles expensas à se factas in re aliena retineat doli mali exceptione: vel recuperet officio iudicis, l. Plane 38, D. De petit. hare. l. Paulus 14, D. De doli mali. Et met. except. licet aliqui ipsi summo jure non debeantur, quod sciens prudensque illis in alienam rem contulerit, §. ex diverso eum §. seq. Inst. De rerum divis. l. 5, Cod. De rei vind. l. Iulianus 36, D. eod. tit. Sic heres ex delicto defuncti, in quantum ad eum pervenit, rectè convenitur, ne, ut inquit lex, alieno scelere dicatur heres, in l. unica C. Ex delict. defuncti. Plura exempla pete ex Glossa & aliis hic & ad l. Iure natura D. hoc tit.

Ceterum huic Reg. obicitur usucapio sive præscriptio, quæ quis rei suæ dominium amittit & alteri applicatur, l. 3, Et passim D. De usurp. Et usucap. Item bonorum publicatio in reo Maiestatis, quæ & cum iactura filiorum fit etiam innocentium, l. Quisquis 7, §. filii C. Ad leg. Jul. majest. Authent. Gazares C. De hæretic. e. Vergentis Ext. eod. tit. Et quod respondit J. C. in l. Cum puzarem 36, D. Famil. ercisc. eum, qui ex sententia iudicis ad divisionem hære-

ditatis admissus est, cum reverà heres non esset, ad restituendam partem non teneri. His Glossa ad d. l. Iure natura, ita occurrit, quod, licet hæc fiant cum aliena iactura, sunt tamen sine aliena iniuria; utpote iuris auctoritate. facit l. Iuste 11, D. De acq. vel omit. poss. At Reg. nostra disjunctim loquitur de iniuria, vel iactura; igitur alterum sufficit, ut Reg. locus sit, ob naturam disjunctorum, quorum factis est alterum evenire, §. sed plures Inst. De hered. inst. Itaque aliter hæc res discernenda est. Quod enim ad duo priora argumenta attinet de usucapione & publicatione bonorum, utrumque publici boni causa receptum est: usucapio sive præscriptio, ne rerum dominia in incerto vagarentur, l. 1 D. De usucap. Et cap. In alternativis Inst. ubi latius dicam & ut aliquis litium finis esset, l. fin. D. Pro suo: bonorum verò publicatio, ut materia subtrahatur filiis idem scelus patrum repetendi & committendi; qui aliqui solent esse imitatores patrum criminis, d. §. filii. Multa autem, inquit eleganter Julianus, iure civili contra rationem disputandi præutilitate criminum receptæ esse innumerabiles rebus probari potest. l. Ita vulnervasus 52, D. Ad leg. Aquil. Adde l. Bona fides Depos. Tertium verò argumentum de coherede per errorem admissio in divisionem hæreditatis, idè procedit, quod sententia iudicis pro veritate habeatur, l. Res iudicata D. De reg. jur. Si tamen postea doceatur, ex falsis instrumentis vel testibus sententiam latam fuisse, per in integrum restitutionem coheredi consulitur, toto tit. Si ex fals. instrum. ex æquitate huius Regule nostræ.

REGU;

REGULA XLIX.

In pœnis benignior est interpretatio facienda.

Consentit & Pauli Regula: In pœnalibus causis benignius interpretandum est, l. Factum cuique §. fin. D. eod. tit. Intelligit autem, quando obscurum est, quæ pœna delinquenti infligenda sit, durior an levior; cum in dubiis semper benigniora præferenda sint, l. Semper in dubiis §. 6. D. hoc tit. Ubi enim certa à jure pœna præscripta est, non est licitum ab ea recedere. Nec enim in certis ullus conjecturæ aut interpretationis locus est, l. Continuus §. 7, §. 2, in fine D. De verb. oblig. Quamquam si causa subsit, lex permittat etiam iudici à statuta pœna discedere, eam vel minuendo vel augendo, per text. in l. 3, l. 4, C. Ex quib. caus. infam. irrog. in l. Quid ergo §. 3, §. pœna gravior D. De his qui not. infam. in l. Repp. tendum §. 1, in l. Hodie §. 1, in l. Aut facta §. 6, De pœnis, & in cap. fin. Ext. De transact. Igitur, ubi obscurum est, quæ pœna reus affici debeat, in mitiorem pœnam declinamus: cum in interpretatione legum pœnæ molliendæ sint potius quàm exasperandæ, l. Interpretatione §. 4, D. De pœnis, & rapienda si occasio, quæ præbet benignius responsum, l. Rapienda §. 68, D. hoc tit. Unde si in ipsis verbis legis ambiguitas insit, quæ & in leniorem, & sæviorem sensum rapi possit, leniorem magis interpretationem sequemur; cum hoc humanius sit, cap. Ex literis §. 1, Ext. de constitut. & supra attingi ad cap. In obscuris. Quod & in sententiis iudicium observabimus, l. Si præses §. 2, D. de pœnis. Quod si variis pœnis idem delictum leges perfe-

quantur, eadem ratione mitiorem pœnam amplectimur, per text. in can. Si quis dederit in V. humanus junctâ ibid. Glos. xiv. quest. 1, Quid autem, si nulla pœna in delinquentem à jure statuta sit, an ne similis delicti pœna in hunc traduci poterit? Minime, cap. Statutum §. 2, De elect. in 6, junctâ hæc reg. sed pœna arbitrio & humanitate iudicis constituetur, cap. Si in fine Ext. De transact. l. 1, §. 1, D. De effraçtorib. Nisi viva & expressa ratio diceret, delinquentem eadem pœnâ coercendum esse. Nam hoc casu pœna unius delicti ad aliud rectè producit, per text. in cap. 1, §. porro cum §. sed qui a Qua fuit prima causa benef. amit. in Feud. junctâ l. Non possunt §. 12, cum l. seq. D. De legib. Neque movet text. in cap. penult. Ext. De sent. excom. quo verbum excommunicationis in dubio de majori excommunicatione intelligitur, non de minori; at verò minoris excommunicationis pœna mitior est, quàm majoris, ut in d. cap. penult. quia alta ratio subest in excommunicatione, quæ idèd in dubio de majore intelligitur, quod hæc magis saluti expediat ad continendos homines in officio Christiani hominis (nam idcirco medicinalis dicitur, cap. 1, De sent. excom. lib. 6.) Quod non est in excommunicatione minore. Sed de hoc argumento fufius agit Did. Covarr. quem vide ad cap. Almamater §. 8, num. 5, Conjunge ad hanc Reg. quæ retulimus ad cap. In obscuris, supra eodem.

REGULA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

Actum legitimum vocamus, qui à lege vel introductus est; ut sunt heredis institutio, l. Verbis legis §. 10, D. De verb. signif. adoptio, l. Si tibi §. 24, D. de adopt. emancipatio, hereditatis aditio, & similia, ut in l. Actus legitimi §. 77, D. h. tit. vel à lege certam formam recipit, veluti stipulatio, l. 1, D. De verb. obligat. vel denique à lege approbatus est; ut emptio, venditio, locatio, alique contractus juris gentium, l. Legitima §. 6, D. de pact. Non tamen omnes hi actus hac Regula nostra comprehenduntur: siquidem maxima eorum

pars conditionem & diem recipiunt, probant tituli D. De condit. instit. de condit. & demonstr. Ext. De condit. appof. & §. omnis stipulatio Inst. De verb. oblig. & alia loca quàm plurima. Quare hæc accersenda est Pomponii Regula in d. l. Actus legitimi, ad quam accommodanda erit hæc Reg. nostra: Actus legitimi, inquit Pomponius, qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. Nonnumquam tamen actus superscripti tacite recipiunt, quæ aperte com-

Cccc 2

prehanse

prehensa vitium adferunt. Nam si acceptum feratur ei, qui sub condicione promissit, ita demum igitur aliquid acceptulatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit: quae si verbi nominatim acceptulationis comprehendatur, nullius momenti facit actum. Non igitur nude & simpliciter de omnibus actibus legitimis hæc Reg. accipienda est, sed quorum natura siue institutioni repugnat diei vel conditionis adjectio, ut in exemplis à Pomponio allatis: quibus adde adoptionem, quæ omissa est à Pomponio, & diei adjectione, d. l. si tibi, siue electio, postulatio conditionis adjectione vitiantur, cap. 2, De elect. lib. 6.

Item matrimonii contractum, ubi ei conditio contra substantiam adjecta est, puta si generatio nem prolis evitaveris, vel si aduiterandam te tradideris, vel donec in venero aliam ditio rem, cap. fin. Ext. De condit. appof. Neque absurdum est, hæc Reg. nostram ita fuse loquentem, ad dictam Pomponii Regulam restringere; cum alibi, in cap. De novop. nuntiat. apertissimis verbis dicat d. Pont. Quia vero sancti leges, non dedignantur sacri Canonis imitari, ita & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur.

REGULA LI.

Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos alterius transferendum.

Deo dicata dicuntur, ades sacra, altaria, cœmeteria divino cultui vel religioni consecrata; quæ & idcirco humano commercio exempta sunt, cap. 2, De immuni. Eccles. lib. 6, ac nullius in bonis esse dicuntur, § nullius cum §§. segg. Institut. De rerum divisi. aded ut ne quidem ligna Ecclesie dirata vel collapsa, in usum laicorum transferri possint, sed vel alteri Ecclesie siue Monasterio applicanda, vel igne exurenda sint, can. Ligna De consecrat. dist. 1, Continentur &

hæc regula nostra monasteria & hospitalia Episcopii auctoritate creta, can. Qua semel 19, quasi 1, cap. Ad hæc 4, Ext. De religiof. domib. Item calices, patenæ, vestes, libri, aliaque instrumenta Ecclesiastica, can. Altaris cum 4, segg. de consecrat. dist. 1, & d. cap. ad hæc cap. 1, Ext. De pignori. imo & prædia, vineæ, & reliquæ res Ecclesie; quæ & Deo consecrate dicuntur, can. Nulli liceat, can. Prædia, XII, quasi 2.

REGULA LII.

Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum,

Exemplum require ex cap. 4, & cap. 5, Ext. De despons. impub. ubi species talis refertur: Contracta sunt sponsalia à Cajo cum puella minore septennio, postea idem Cajo consentit in matrimonium cum matre ejusdem puellæ: qua de re consultus S. Pontifex refertur, matrimonium hoc cum matre initum non impediri propter sponsalia præcedentia cum filia; cum sponsalia ipso jure, utpote à minore septennio contracta, non constiterint: ac proinde nullam publicæ honestatis iustitiam induxerint, ob quam aliàs inhibitor matrimonii contractus. Alterum exemplum juris civilis sit: Si quis post primum testamentum, alterum facere coeperit, sed mortalitate præventus, aut quia ejus rei eum præstituerit, id non perfecit: non ided infirmantur priores tabulæ; cum posteriores effectum non habuerint, § ex eo autem Institut. Quib. mod. testam. infirm. Quæ ad illustrationem hujus Reg. sufficiant.

Perdit autem officium suum hæc Regula in casibus, in quibus vel sola voluntas sufficit ad producendum effectum; veluti in legato, quod & ademptum censetur priori legatario, etiam si posterior legatarius talis sit, in cujus persona legatum consistere non possit, l. Plane ubi 34, in princ. De leg. 1, l. Esit 20, De adm. vel transf. leg. vel si posteriori testamento, licet imperfecto, legatum revocatum fuerit, cum hæc in re sola voluntas sufficiat, l. Ex parte 22, eod.

Nec in delictis hæc regula obtinet; quæ licet effectu careant, ed quod contra jura admittantur, juxta cap. Qua contra in f. eod. hoc tamen non aliter accipiendum est, quam quod attinet ad delinquentis commodum, ne ipse ex delicto suo præmium vel impunitatem ferat; secus quod ipse in commodum, quo plectitur vel muldatur reus ob delictum suum.

Neque huic Regule obstat text. in cap. missa

in princ. De sponsalib. lib. 6. ubi ex sponsalibus in-
 vidis publica honestas oritur matrimonium sub-
 sequens impediens & contractum dirimens. Nam
 tamen si huiusmodi sponsalia ipso jure nulla sint,
 non tamen effectus erant, quoad opinionem vul-
 gi, forte existimatis ea valida esse: ut merito &
 in his sponsalibus, publicæ honestatis tuecudæ &
 conservandæ causâ, receptum fuerit, ea non mi-

nus impedimento esse justis nuptiis, quàm si le-
 gitimè contracta essent. *Semper in conjunctionibus,*
inquit Modestinus, non solum quid liceat, confido-
randum est, sed & quid honestum sit, l. 42. D. De ritu
nupt. Verùm cum hodie discessum sit ab hac sen-
 tentia & unice per Concilium Tridentinum *Sess. 24*
cap. 3. in decret. de reform. matrim. non est quod lon-
 gè insistamus.

REGULA LIII.

Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. |

IN eandem sententiam Ulpiani Regula est in
l. Non debet 11. D. hoc eod. tit. Pertinet verò ad
 ea, quæ suprà retulimus ad *cap. Plus semper.*

Ibi latius vide & Accurs. ad *d. l. Non de-*
bet.

REGULA LIV.

Qui prior est tempore, potior est jure.

HÆC Regula latè se diffundit. Pertinet enim
 ad collationes beneficiorum Ecclesiasti-
 corum; ut si cui beneficii collatio prior fa-
 cta est, posteriori præferatur. *cap. Et cui 7. & cap. Si*
postquam 13. & cap. Si tibi absenti 17. De prob. lib. 6. ad
collegia; ut quo tempore quis in collegium re-
 ceptus est, eo ordine confideat & sententiam dic-
 cat, *cap. 1. Ext. De maior. & obed. l. 1. D. de albo scrib.*
 ad hypothecas & pignora; ut & in his semper e-
 jus causa potior sit, qui tempore antecessit, *l. Prior*
v. Qui potior in pig. adeò licet is, qui prior est, ge-
 neralem hypothecam habeat omnium bonorum,
 posterior verò specialem unius rei; nihilominus
 ille & in hac re præferatur alteri, etiam si ex bo-
 nis aliis pecuniam suam redigere possit, *l. 1. v. d.*
tit. & l. Si generaliter 6. C. eod. Nec refert, posteriori
 creditori pignus traditum sit à debitore: adhuc
 enim potiores partes erunt prioris creditoris, *l.*
Creditor 12. §. fin. v. d. tit. cum res cum suo onere
 transferat ad posteriorem creditorem, *cap. Ex liti-*
vis circa fin. Ext. De pignori l. Alienatio v. De contrah.
empt. Horum omnium ratio est, quòd jus quæ sit-
 tum alteri invito auferri non possit, *l. Id quod no-*
strum & l. Non debet alteri v. hoc nostro tit. Ubi verò
 nullum jus alteri quæ situm est, nihil impedit,
 posteriorem priori præferri in jure acquirendo;
 veluti in re duobus separatim vendita vel dona-

ta; is enim cui possessio prior tradita est, alteri li-
 cet in contrahendo priori, præferatur; propterea
 quòd ex traditione posterior rei dominium jam
 nactus sit, *l. Quoties 15. C. De rei vind. Sic & creditor*
 posterior, cui pignori res obligata est, antefertur
 omnibus personalibus creditoribus etiam priori-
 bus, propter jus in re sibi constitutum à debitore,
l. Eos 2. C. Qui potior in pig. d. l. Creditor §. si primus. A-
 liter si nulla omnino res in pignus data esset; nam
 hac specie omnium creditorum æqualis esset
 conditio, ita quòd is, cui prior solutio facta est,
 rem rectè retineat, *l. Privilegia 16. De privil. cred.*
vide ibi Interpp. quia vigilantibus jura succurrunt,
 non negligentibus, *l. Si pupillus 24. circa fin. & l.*
Qui autem 6. §. sciendum v. Qua in fraud. cred. præ-
 terquam si unus vel plures creditores missi sint
 in possessionem bonorum debitoris latitantis;
 nam nihil præjudicat horum diligentia cæteris
 creditoribus absentibus, qui si postea veniant,
 concurrant simul cum in possessionem missis, ex
 Justiniani constitutione, *in l. fin. C. De bonis au. Tor.*
jud. possid. Singulariter quoque receptum est in
 pignore in instrumento publico contracto, ut hoc
 præferatur alteri privata manu conscripto; nisi
 privatim trium testium subscriptione munitum
 sit, *vide in l. Scripturas 11. C. Qui potior in pig.*

REGULA LV.

Qui sentit onus, sentire debet commodum, & e contra.

Hæc Regula bimerabris est, seu potius duas regulas in se continet. Prior est: Qui sentit onus, sentire debet commodum. Altera: Qui sentit commodum, sentire debet onus. Priorem Paulus ad naturalem æquitatem revocat: *Secundum naturam est*, inquit, *commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda*, l. 10, D. hoc tit. Sed neque altera à ratione naturali aliena est: *Non enim forendus est*, inquit Justinianus, *qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit*, in l. unica § pro secundo in fine C. de caducis toll. Prioris exemplum videre est in emptore, qui quemadmodum post contractam emptionem, traditione nondum factâ, omne periculum emptæ rei sustinet, ita & commodum sentiat, quod interim rei emptæ per alluvionem, aut aliâ ratione accessit, §. cum autem Instituit De empt. l. 1, C. De periculo & com. rei vend. Et in usufructuario, cui arbores demortuæ ideo cedunt, quod in locum earum alias substituere teneatur, l. Agri 18, D. De usufr. Posterioris

Regulæ hæc exempla adferri possunt. Sicut in testati hereditas ad legitimos heredes venit, ita & tutela legitima, Tit. Inst. De legitima patren. tur & §. ex his autem Nov. de heredibus ab intest. Et Clericus, sicut beneficii si ecclesiastici fructus percipit, ita & ad Ecclesiæ suæ refectionem, c. 1, Ext. De Eccles. adif. adcoque ad peragendum officium tenetur, cap. Significatum Ext. De praben. Huc spectare videtur, quod contra Pastores, quærentes quæ sua sunt, non quæ gregis, comminatur per Ezechielem Dominus: *Va pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pasceuntur? Lat comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassumerat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Et post id pòst: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascent gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra in escam, Ezech. 34, c. Citat. & D. Peckius hunc locum, ad hanc Regulam num. 12,*

REGULA LVI.

In re communi potior est conditio prohibentis.

Quia iniquum est, alieno facto quemquam lædi, aut jus suum diminui, l. Non debet alteri & l. factum cuique D. hoc tit. l. Cuius 13, D. de servit. urb. præd. cum & præcepto juris inter alia, id diferte caveatur, *honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere*, l. 10, D. De iustit. & iure & §. juris præcepta eodem tit. in Instit. in proæmio decretal. Greg 9, Hinc Cajus: *parietem, inquit, qui naturali ratione communis est, alterutri vicinorum demolienti ædium & reficiendi jus non est, quia non solus dominus est, textus est in l. Parietem 7, D. de servit. urb. præd. Idque aded, etiam si meliorem repositurus esset; ob eandem rationem, quia non solus dominus est, & alteri invito beneficium facere non potest, l. Invito D. hoc tit. In crustare tamen communem parietem, vel pretiosissimis picturis exornare, l. Quidam 12, §. fin. D. de servit. vel scalas, quæ removeri possunt, ad parietem communem habere socii permissum est, l. Fistulam 18, §. fin. D. jam à tit. quia hæc socii alterius jus non lædunt. Quid si*

utatur socius re communi ad destinatum usum, dubium non est, quin ab altero socio prohiberi non possit; veluti si in commune sepulchrum socius inferatur, §. in communem Instituit de ver. divisi. Porro singulari jure receptum est in fisco, ut si communem rem possit dividere, invito socio, l. 2 C. de comm. ver. alienat. l. 1, C. de vend. rer. fiscal. idque favore fisci, cum pluri vendatur res tota quam pars. Item receptum est à jure, quod socius alterum invitum provocare possit ad divisionem, l. fin. C. Com. divid. ad evitandas discordias, quas communio solet excitare, l. Cum pater 77, §. aulicissimis in fine De legat. 2, l. Sancimus 34, §. ne autem C. de donat. ubi & casus singularis. Itaque singulare est, in re communi potior esse conditionem prohibentis. Quid si non prohibeat socius? Existimat Peckius, hic num. 2, in fine socium, qui scit, & patitur, nec contradicit, mandare & permittere, per l. Qui patitur D. Mandati. Aliter Papiianus, qui ex Sabino (cujus integrum responsum

sum hic subijciam) ita censeat: Sabinus, ait, in re communi neminem dominorum iure facere quicquam inuito altero posse: unde manifestum est prohibendum ius esse. In re enim pari potiorum causam esse prohibentis consistat. Sed et si in communi prohiberi socius a socio, ne quid faciat, potest: ut tamen factum opus tollat, cogi non potest, si cum

prohibere peterat, hoc pratermissit: Et ideo per communi dividendo actionem damnum referri poterit. Sin autem facienti consensit, nec pro damno habet actionem; quod si quid absente socio ad laesionem eius fecit, tunc etiam tollere cogitur, textus in l. Sabinus 2 §. d. Communi divid.

REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit aperiùs, est interpretatio faciendâ.

Per legem intellige pactum à contrahentibus adjectum, ut & in l. Legem 10. C. de pact. in l. Si pro emptore §. 1. §. fin. d. de act. empti, in l. Contractus 23, vers. nam hoc servabitur d. hoc tit. Et alibi sapienter: quod si dubiam est, ea interpretatio sumitur, quæ est contra proferentem: cum illi imputandum sit, quare non aperiùs legem dixerit. Quod fit, ut interdum pro emptore contra venditorem, & pro conductore contra locatorem, l. Veteribus 39 d. de pact. l. Si arborem 16 §. fin. d. de servit. urb. prad. l. Cum in lega 33, d. de contrah. empti. 6, l. Si in emptione 34, in princ. d. eod. interdum vero contra interpretatio adhibeatur, Quomodo exaudienda est juris regula in l. In contrahenda d. hoc tit. de venditore, qui ambiguum pactum venditioni adiecit, ut illi potius interpretatio noccat. Quare si proferens aliter rem intellexerit, id probare debet: qui enim aliud pro se allegat, probare tene-

tur, l. 1. & l. 2, d. d. de probat. d. l. Veteribus. Quod si non probaverit, culpæ suæ adscribat, quod legem cum in potestate sua esset aperiùs non dixerit. Sed cur non potius in obscuro, quod minimum est sequitur, juxta Regulam, in obscuro, supra à nobis explicatam? idcirco, quod hic alia causa subit, cur minimum non sequamur, ut jam dictum est; alioqui stamus à d. & regula, in obscuro; quod ibi annotandum est. Quod vero contra hanc Regulam adfertur ex l. Inter stipulantem 83, §. 1, d. de verb. oblig. & ex l. De die 8, in princ. d. Qui satis cog. id favore judicii introductum est, licet supra meminimus, sup. eod. ad cap. Cum sunt partium. Ad l. Eum qui 41, d. de verb. oblig. rectè respondet Glossa hic: idcirco promissionem in Calendas Januarias de primis intelligi, ne actus corruat; forte enim promissor ad ultimas Calendas hujus mundi rem rejiceret.

REGULA LVIII.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.

Expressa juris sententia est, iuramentum toties servandum esse, quoties non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in alterius præjudicium, et, de pact. in l. 6, c. Cum contingat 28, Ext. de iurejur. in fine. Ubi ergo vergit in æternæ salutis dispendium, servandum non est, argumento ducto à contrario sensu, quod à jure receptum est, per totos in l. 1, circa princ. d. de off. ejus cui mand. est iurisd. Veluti est iuramentum contra bonos mores præstitum; puta de non alendo patre, vel eo non redimendo ab hostibus, l. Conditiones d. de condit. insti. c. Cum quidam 12, §. fin. Ext. de iurejur. de adulterio, homicidio, sive alio delicto committendo, c. 1, c. 2, Non est observandum can. Inter cetera XXI. quas 4, c. 1, vers. Et talia iuramenta,

de iurejur. lib. 6, Nec enim iuramentum inventum est, ut sic vinculum iniquitatis, c. Quanto 18, vers. si falsum Ext. de iurejur. Et d. c. Inter cetera. Neque in adversum urget textus in c. Debitoribus 6, Ext. de iurejur. quo iuramentum de solvendis usuris servari juberetur. At usura bonis moribus, repugnant, cum sint jure divino interdixit, c. 3, c. 4, Ext. de usur. Quia responderetur, in usuris quidem peccatum versari ex parte usurarii, non autem ex parte promittentis usuras, ut docet S. Thomas 2, 2, q. 78, art. 4, unde ex parte promittentis iuramentum servandum est, & promissæ usuræ solvendæ, licet solutæ rursus condicantur à creditore, d. c. Debitoribus Ext. de iurejur. Idem trahendum est ad pactum legis commissoria iuramento confirmatum,

tum, de quo in cap. Significante 7. Extr. De pignorib. & in l. fin. C. De pactis pignor. Igitur Regula nostra de bonis moribus exaudienda est, quorum contrarii turpes sunt, & peccatum continent. Ceterum si boni mores civiles sint, id est, à jure civili introducti, nihil impedit, contrarium his juramen-

to confirmari posse, uti videre est in alienatione doris, & renuntiatione hereditatis paternae, quae licet jure civili interdicta sint, juramento tamen confirmantur, & obligationem inducunt, in c. Cum contingat Extr. De jurejur. c. 2. eod. tit. in 6. & inc. 2. De pactis lib. 6.

REGULA LIX.

Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem,

Paulus in eadem sententiam: Dolo facit qui petit quod redditurus est, l. In condemnatione § fin. D. eod. Exemplum adferri potest in usurario, qui merito exceptione doli repellitur: cum et si exactas usuras receperit, easdem tamen refundere teneretur, cap. Cum tu §. cap. Tuas 13. Extr. De usuris. Cui enim datur actio, eidem multò magis exceptio competit, l. Inventus 136. §. 1. D. hoc tit. l. 1. §. quod ait prætor D. De superficies. Sed cum non idem, ubi juramentum promissioni usurarum accessit, cum hac specie ante solvendæ sint usuræ & post restituendæ à creditore: ut ad præced. regul. dictum est, c. Debitores Extr. De jurejur. Id facit vis juramenti, quod propriam obligationem parit inter Deum & jurantem, quæ prius per solutionem dissolvenda est: quamvis & agere possit debitor

contra creditorem, ut ipse remittat juramentum, cap. 1. Extr. d. tit. De jurejur. quo remisso, rum locus erit huic Regulæ. Ad hanc Regulam pertinet quod J.C. respondet in l. Dolo 8. D. De doli mali & met. except. de herede damnato à testatore, ne à debitore peteret; nam exceptione doli mali heres rectè rejicitur si petat; cum etiam eam non oppositâ teneretur heres ex testamento debitorem liberare. Exaudienda autem est hæc regula, ubi eidem, qui solvit, res restituenda est: sicut si alteri tertio, ut in specie, l. Si fecerit 44. §. Lucius D. Soluto matrim. Item nisi causa diversio sit petitionis & restitutionis; veluti si possessio rei petatur à proprietario, ut in l. 1. §. 1. D. Quor. legator. adde c. 2. Extr. De causa poss. & propriet.

REGULA LX.

Non est in mora, qui potest exceptione legitimâ se tueri.

Quid mora sit, supra explicavimus, ad cap. Mora sua sup. eod. Exceptio legitima est, patet de non petendo, doli mali, metus, jurifurandi & similibus, de quib. sub tit. Instit. & D. De except. Item si quis valitudine, tempestate, vi fluminis, vel aliâ justè impeditus fuerit, l. 2. §. 1. cum seqq. D. Si quis cautionib. Hæc enim, à mora excu-

sant, & subsequenter etiam à pœna vel damno, d. l. 2. & cap. penult. circa fin. Extr. De pignor. Quod spectat juris civilis regula: Nihil interest, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur, l. 112. D. hoc tit. scilicet, quod ad effectum attinet: nam actio per exceptionem oppositam eliditur, l. 2. De exceptionib. l. Si iudex 41. D. De minorib.

REGULA LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

Eadem sententia est, l. Quod favore 6. C. De legib. Exempla require in cap. 2. Ad Apostolicam

16. Extr. De regularib. in l. Non co minus 14. C. De procuratoribus in l. Si iudex 42. D. De minorib.

REGULA

REGULA LXII.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

Convenit cum *l. Consilii 47. D. h. tit.* Et ratio est; nam liberum cuique est apud se explorare, an expediat sibi consilium, *l. 2. in fine D. Mandati.* Deinde iniquum esset consultori damnosum esse officium suum, *l. Sed si quis 7. D. Quem adm. test. ap. Præterquam,* si ego alteri consulere, ut Titio (et sic ceteræ personæ) pecuniam crederet, aliàs non facturo; tenebor enim mandati actione, *§. tua tantum vers. & adeo Inst. De mandato, & l. Si remunerandi 6. §. si tibi mandavero D. Mand. ad similitudinem fidejussionis Contius ad d. §. tua tantum in notu.* Vel si fraudulentum consi-

lium alteri submitterem, in me competet actio de dolo, juxta hanc regulam, *in d. l. Consilii D. eod.* Planè & in Adversore receptum est, ut si is per imperitiam Magistratui aliter consulat quam oportet, ipse teneatur, *per text. in l. 2. D. Quod quisque juris,* quemadmodum & medicus, si per imperitiam peccaverit, *l. Ellicitas 6. §. sicuti D. De offic. praesid. l. Idem 8. in princ. D. Ad leg. Aquil.* Sed hoc idè, quòd uterque in culpa sit. Quippe nemo asseclare debet id, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alii periculosam futuram, *d. l. Idem circa su.*

REGULA LXIII.

Exceptionem obijciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

Regula huc translata est *ex cap. 6. Ext. De except.* & consentit cum Marcelli responso in *l. Non utique 9. D. De except.* Exempli loco sit, si petenti debitum reus conventus obijciat solutionem, vel pactum de non petendo, vel aliam exceptionem; non enim idcirco reus confitetur debitum præcessisse: aut si rei vendicatione conventus excipiat se eandem rem ab actore, donationis, permutationis, aut simili titulo accepisse. Nec enim inde inferendum est, actorem antea dominum fuisse, *per hanc reg. nostram.* Ratio in eo consistit, quòd exceptio non alià mente obijciatur a reo, quam ad excludendam actoris intentionem, non ad eam fundandam. Non igitur contrarium effectum operari debet exceptio: actus enim nostri (dici Solet) non operantur ultra in-

entionem nostram, *ex l. Non omnia 19. in princ. D. Si cert. peras.* Neque in dubio credendus est reus, eam viam sibi eligere voluisse, ut seipsum impugnaret & adversarium juvaret, *arg. l. 3. D. De milit. testam.* Huc revocatur illa quaestio, An qui hominem defendendi sui causà se occidisse fatetur, homicidium eo ipso confiteatur, & tamquam homicida plectendus sit, si defensionem non probet? Quod certè non videtur, si æquitatem regulæ nostræ sequamur. *Vide Dec. & alios, ad c. 6. Ext. De except.* Omnium tamen tutissimum erit, si reus exceptionem suam conditionaliter obijciat, dicendo: Nego me tibi debere, sed si debui solvi tibi, & ita in cæteris; ut hac ratione oneretur adversarius ad probandam intentionem suam, *per text. in l. Si quisdem 9. Cod. De except.*

REGULA LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

Huc pertinent, quæ supra retulimus, *ad cap. Non firmatur & ad cap. Non prestat supr. eod.* Adeoque obtinet hæc Regula, etiam si simpliciter à jure quid prohibicum sit, nulla adjectâ clausulâ (ut loquimur) derogatoriâ vel annullativâ actus, *per text. in l. Non dubium 5. C. De legib. & qua ibid. tradit. Jason. num. 17.* Nec enim juris prohibitio licet simplex, effectu careat

debet, *can. Vides distinct. 10.*

Interim nonnullis casibus ab hac Regula disceditur: veluti in matrimonio contracto post simplex continentie votum, *cap. rursus 6. Ext. Qui Cler. vel vorvent. & cap. unico De voto & voti redempt. in 6.* vel contra interdictum Ecclesiæ, *tit. Ext. de matrim. contracto contra interdict. vel cum neophyta, id est, cum ea, quam quis ante Bap-*

Dddd

mum

num in fidei Christianæ articulis instituit, *cap. 2. De cognat. spirit. lib. 6.* item in ordinatione Clericorum, *can. fin. 1x. quest. 2.* & consecratione Ecclesiæ ab alieno Episcopo facta, *can. Episcopus in dice. cesi. 11. quest. 1.* item in sententia iudicis durius, *ut in l. mori. 9. §. sed D. De interditi. & relog.* vel sub conditione lata, *l. 1. §. biduum D. Quando appell. fir. Adde casum in l. 3. d. de officio prat. Hæc & si quæ*

alia sint, licet prohibente jure fiant, non tamen pro infectis habentur; eò quòd jus expressè illa sustineat ex certis causis, non perseverando intra limites prohibitionis, *facit text. in cap. Ad apostolicam 16. circa fin. Ext. de regularib.* Aliter in cæteris casibus, qui prohibiti sunt, sed non permitti à jure, in quibus statuit Regula nostræ.

REGULA LXV.

In pari delicto vel causâ potior est conditio possidentis.

EX hac Regula efficitur, quòd, si pecunia alicui data sit, stupri, homicidii, vel alterius delicti causâ, ea repeti non possit, quia uariiusque turpitudine tam dantis quàm accipientis versatur, *l. 3. l. 4. C. d. condit. ob turp. caus. & l. 2. C. d. tit. secus, si tantum turpitudine sit ex parte recipientis, ut puta, Dedi tibi, ne furtum faceres, ne hominem occideres, vel ut depositum vel commodatum restitueres. Nam his & similibus spe-*

ciebus repetitioni locus est, *l. 2. d. d. tit. si tamen, priusquam delinqueres, dederim.* Nam quòd post delictum admissum datum est, non repetitur, cum solutio subsequens aboleat & purget turpitudinem præcedentem, *l. penult. d. eod.* Idem eorum servatur in metu, quem & expellit subsequens spontanea solutio, *l. 2. C. de his qua vi metus facta.* Adde quæ diximus alibi ad c. *Cum sunt partium sup. not.*

REGULA LXVI.

Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

Vide quæ tradidimus ad *cap. Impulsari supra eod.*

REGULA LXVII.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

HUIC consequens est, sicut prohibemur nostro nomine exercere usuras, ita & alieno nomine, etiam pro redimenda vita captivi, *cap. 4. Ext. de usuris.* Parens quoque, qui sibi testamentum facere non potest, nec liberis suis potest, *Parag. liberi Instituit. de pupill. substituit.* Aliaque exempla breviter studio omittimus. Sed restringenda est hæc Regula: nisi ratio prohibitionis ex persona mea proveniens, cesset in persona alterius. Ut ecce, certum est me non posse meo nomine consentire in matrimonium cum mea consanguinea vel affine intra quartum gradum, *c. Non debet Ext. de consang. & affin.* et non prohibere extranei nomine, tamquam procura-

tor cum eadem matrimonium contrahere, *cap. fin. de procurator. lib. 6.* quia in extraneo cellas impedimentum, quod ex parte mea subest. Item filiusfamilias in iudicio sine consensu patris agere vel conveniri non potest, *cap. 3. de iudiciis lib. 6. l. fin. Parag. 1. Cod. de bonis qua lib. et alieno nomine potest, cap. Quis generaliter Parag. 1. de procurator. lib. 6.* quia nullum hic periculum filio vel patri vertitur: cum si causâ eadæ filio, executio sententiæ in principalem dirigatur, *l. Plantius G. d. de procurator. vide tamen Berrol. ad d. Parag. 1.* Sic licet per alienum fundum invito domino, ire, & agere meo nomine non possim; tamen alieno nomine possim,

possum, qui servitutum eundi vel agendi habet, *l. si stipulatus fuero 11. d. de verb. oblig.* Et qui aliàs iudex non est, ex delegatione iudicis ordinarii

rectè iudicat, *1. de offic. & pot. iud. deleg.* Verum hæc & similia, ex persona alterius fiunt, cui ea licent,

REGULA LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

Hæc Regula superiorem non malè sequitur. Illa negativa est, hæc affirmativa, in eodem argumenti genere. Quod spectat Titulus utriusque iuris de procuratoribus: *Uti procuratorum*, inquit J. C. *perquam necessarius est, ut qui rebus suis superesse vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios possint vel agere vel conveniri, l. 1. Parag. penult. de procurator.* Item, in aliis obligationibus facti, receptum est, *per text. in l. Veteris 13. circa fin. de contrah. vel committ. stipul. l. Continuum 37. Parag. si ab eod. de verb. obligat.* Qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur, *cap. Qui facit infr. eod. nisi ubi personæ industria electa est; puta si specialiter actum sit, ut quis suis operis factum præster, l. Inter artifices 3. d. de solut. aut personaliter negotium exequatur, cap. fin. & ibi latius Ext. de offic. & pot. iud. deleg. vel pro forma introductum sit à lege, ut res non per alium, sed per seipsum explicetur, sicuti in recitatione sententiæ, quæ ab ipso iudice fa-*

*cienda est, l. 1, 2. & 3. C. de sentent. ex brevi c. v. cit. (exceptis tamen illustribus personis, quibus etiam id per alios licet, dist. loc. 2.) Item testamenti factio, quam per se præstare debet testator, non permittit voluntati alterius, l. Illa institutio 32. l. Si quis Sempronium 68. d. de hered. institut. vide quæ tradunt Dd. ad cap. Cum tibi 13. Ext. de testam. vel aliàs factum proprium requirit lex: ut in confessione peccatorum, quæ ab ipso poenitente coram Sacerdote explicanda est, *can. 88. Quam poenitent. de poenitent. dist. 1. in tutore, curatore & procuratore, qui antequam per alium in iudicio agere possunt, lis antè ab ipsis contestanda est, l. Neque 11. l. procuratoribus 22. cum l. seqq. C. de procuratorum criminales causa per se, non procuratorem agitantur, l. penult. Parag. 1. d. de publ. iudic. c. Veniens 15. Ext. de accusar. In summa ubi lex vel conventio partium proprium factum desiderat, cessat hæc Regula nostra.**

REGULA LXIX.

In malis promissis fidem non expedit observari.

Elegantè Isidorus. *In malis promissis, inquit, rescinde fidem: in turpi voto muta decretum; quod incausè vocasti, no facias: impenitentis est promissio, qua seelere adimpletur. reusus est in can. In mala xxii. quest. 4.* Quare ex huiusmodi promissione nulla nascitur obligatio, *l. Generaliter 16. d. de verb. oblig. ne quidem si iuramentum accesserit, cap. Non est obligatorium sup. eod.* Imò mala promissa à iure inter impossibilia recensentur. Nam, ut scitè ait Papinianus, *Quæ facta laudant pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, text. in l. filius 15. d. de condit. institut.* Quare verbum,

expedit, in regula nostra ad necessitatem trahendum est.

Neque his adversantur Tituli iuris, de dolo malo & de eo quod metus causa; quibus id quod dolo vel metugestum est, ipso iure valet, sed ex edicto Prætoris rescinditur; ac dolus malus & metus per se turpes sunt. Quia responderet; etiam si per se turpes sint, non tamen res ipsa, quæ promittitur vel geritur per dolum vel per metum, in se turpis est. Quæ specie loquantur dicti tituli: Regula verò nostra exaudienda est de turpi: inquit enim, *in malis promissis; non verò in male promissis; quæ diversa sunt,*

REGULA LXX.

In alternatis debitoris est electio: & sufficit alterum adimpleri.

Alternativa dicitur sollemus illa, quæ cum disjunctione efferuntur, interjecta videlicet vocula, *aut, vel, sive,* aut simili. Item, si duo aut plura absque disjunctione proferantur, *l. In eo 11, §. penult. D. hoc eod. tit. l. Sapè 35. D. De verb. signif.* Quamvis Paulus, & rectè, hoc non tam ex verbis, quàm ex re estimandum censent; cum sæpè conjuncta pro disjunctis accipiuntur, & disjuncta pro conjunctis, *d. l. Sapè.* In his igitur, quæ re ipsa alternativa sunt, locum sibi vindicat Regula nostra. Itaque alternativorum ea conditio est, ut debitori potestatem faciant, alterum ex iis eligendi vel implendi, tam in contractibus quàm in ultimis voluntatibus. In contractibus exempla extant in *l. Si in Emptione 34. Parag. si emptio D. De contrah. empt. in l. 2. Parag. Scavola, aliàs incipit l. Non utique D. De eo quod certo loco.* In ultimis voluntatibus pulchrè rem explicat Justinianus: *Si plures conditiones, inquit, in institutionibus adscripta sunt, siquidem conjunctim, ut puta, si illud & illud factum fuerit, omnibus parendum est; si separatim, veluti si illud aut illud factum erit, cuilibet conditioni obtemperare satis est, textus est in Parag. si plures Instit. De hered. instituend.* Ubi observa diversum esse in conjunctis, in quibus omnium concursus & implerio requiritur, quia conjuncta unius loco habeantur, & sententia Pauli J. C. in *l. Si heredi 5. D. De condit. instit.* Idem judicium est de mandato Principis, *cap. 4, Ext. De rescript.* & decreto judicis alternativè, conceptis; ut & in his sufficiat alterutri disjuncto- rum paruisse, *l. Si pupillorum 7. Parag. si Prator D. De reb. eorum qua sub tut.*

Atque ad eò Reg. nostræ locus est, ut etiam liceat debitori alternativo, toties quoties voluerit, mutare voluntatem suam, nunc hanc, nunc illam rem ex alternativis eligendo, *l. Eum qui 138. §. 1. D. De verb. oblig. junct. l. Qui ex pluribus 106. D. eod.* Cum & repetere possit alteram quam maluerit, si forte errore ductus utramque solverit, *l. penult. C. De condit. indeb.*

Sed quaestio est, si ex alternativis una res ante præstationem perierit? Nihilominus altera, quæ superest, præstabitur, tamquam ea sola sit in obligatione; ne in arbitrio sit debitoris, utrum debeat, *l. 2. §. Scavola, aliàs l. Non utique D. De eo quod*

certo loco & l. Stichum 95. §. 1. D. De solut. Rectè tamen existimat Jason, si res absque dolo & culpa debitoris perierit, præstando estimationem peremptæ rei, debitorem liberari, Jason ad *l. Non utique per text. in l. Cum rer. 47. §. sed si Stichus aut Pamphilus D. De legat. 2. nec enim mortalitas rei nocere debet debitori, l. Illud 40. vers. nec enim debet D. De peti. hered.* Adde, ubi in recipiendo rem oblatam, moram fecit creditor, debitorem quoque rei interitu liberari, *l. Stipulatus sum 105. De verb. oblig.* mora enim cuilibet sua nociva est non alteri, *cap. Mora sup. eod.*

His obviare videtur textus in *l. Lucio Titio 24. De legat. 2.* ubi legato fundo Sciano, vel ejus usufructu, electio legatarii est; non heredis. Sed Bartol. ibidem ex Glossæ & aliorum sententia, ita rem conciliat: Aut verba executiva, hoc est, quæ denotant executionem legati, ad legatarium diriguntur, veluti fundum Scianum vel usufructum ejus sibi habere legatarius; & sine dubio, inquit, electio est legatarii, *l. Planus 34. Parag. penult. De legat. 1.* propter probabilem mentis testatoris conjecturam, quæ ex ipsis verbis eruitur. Aut referuntur ad heredem; ut, heredi dato fundum Scianum, vel ejus usufructum; & heredis electio est, *l. Si ira 46. D. leg. 2.* ob eandem rationem. Sin verba relicta dubia sint, ad quem potissimum legati executio referri debeat; veluti, fundum vel ejus usufructum do, lego; magis est, ut legatarii electio sit, *juxta d. l. Lucio Titio De legat. 2.* cum id benignius sit in ultima voluntate, cujus interpretatio p̄senior esse debet, *In testamentis 12. D. De reg. jur.* Aliter in contractibus, in quibus in obscuro debitoris electio est, cum hi non ita favorabiles sint, *cap. 6. in fine Ext. De donat. sibi.* que imputare debet creditor, quod legem conventionis non apertius dixerit, *c. Contra eum inf. eod.* Quod tamen ad duo præcedentia membra distinctionis de verbis executivis, idem constat Bartol. in contractibus, *per l. Si sic stipulatus sum 93. l. Si quis stipulatus 112. D. De verb. oblig.* quod contrahentium mens ex iis facile eliciatur. Et

Atque hæc de alternativis rerum. Ceterum in altor

in altero locorum; veluti, Ingolstadii vel Monachii dabo vel solvam; semper electio est creditoris, ne si in altero loco conventus debitor ad alterum provocans, eludat semper creditorem, d.

§. Scavola. alijs. l. Non utique De eo quod certo loco: Quod & in pluribus iudicijs eiusdem debitoris incipiendum est, eadem ratione, per text. in l. fin. C. De iurisd. om. iud. Vide latius Iasonem ad l. Non utique.

REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

Similis sententia extat in l. Invidiosus, §. 1, D. hoc eod. tit. Et in l. 1, §. quod autem ait Prator D. De superbie. Et hinc etiam, maritus uxorem suam adulteram ad se redirentem non recipit, per text. in cap. 4, Extr. De divor. Et quod si nunquam ab eo disgressa fuisset, agere posset maritus, ut ab ea separaretur, cap. 5, d. cit. De divor. Singulare est, in deposito, quod etiam depositarius rei depositæ dominus sit, ac proinde habeat actionem ad eam vindicandam, l. Officium 9. De rei vindicat. non tamen exceptione se rueri potest contra deponentem, sed ante omnia restituere tenetur depositum; idque ob bonam fidem, quæ uberior est in deposti-

to, l. penult. C. Depositum. Idem est in re conducta, cujus conductor præ tendit se esse dominum; nam neque hic exceptione dominij iuratur adversus locatorem, l. Si qui conductio 25, C. D. locato. Ratio est, quia conductor negando restitutionem locatori, censetur ei intervertere possessionem, quæ hæcenus apud locatorem remansit, l. Coloniarum, iuncta l. 1, §. si quis autem D. De vi et vi arm. At spoliatus possessione suâ, licet prædo, ante proprietatis quæstionem restituendus est, cap. in literis 5, Extr. De restit. spol. §. recuperanda Insitut. De infort. Hæc itaque cum singularia sint, hæc Reg. nostrâ non continentur.

REGULA LXXII.

Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.

Huius regulæ supra meminimus: ad cap. Potest quis; eisque usus latissime patet, etiam in delictis: Illi verò, inquit, Alexander III. qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate vel mandato alii violenter iniungunt manus in Clericos ad Sedem Apostolicam sunt vitandæ: cum is committat verò, cuius auctoritate vel mandato delictum committi probatur. cap. Mulieris 6. sine Extr. De sent. excom. Adde Extr. in cap. ut fama, 35. §. fin. eod. tit. Et Ulpianus: Deiciisse, ait, etiam is videtur, qui mandavit vel iussit, ut aliquis deiceretur: parvi enim referre visum est, sius manibus quis deiciat, an verò per alium, l. 1, §. deieciisse D. De vi et vi arm. Idem Ulpianus: Non solum

autem in injuriarum tenetur, qui fecit injuriam; hoc est qui percussit, verum ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel qui curavit, ut cui mala pugno percuteretur, l. Non solum 11, D. De injur. Et Gordianus Imperator. Non ideo minus crimine, inquit, siue atrocium injuriarum iudicio tenetur is, qui in iustam accusationem incidit, quis dicit alium se huiusmodi facti mandatorum habuisse: namque hoc casu, præter principalem reum, mandatorum quoque ex sua persona conveniri posse ignotum non est, l. Non ideo 5, C. De accus. Quibus tamen casibus factis proptio opus est, nihil proficit, per alium fecisse, vide quæ supra diximus supra ad d. e. Potest quis.

REGULA LXXIII.

Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

Non dissentit Paulus in l. In ambiguis, §. 1, D. h. eod. tit. Exempla peti possunt ex c. Discretionem 8, ex c. penult. Et c. ult. Extr. De eo qui consang. ux. Matrimonium enim legitime contractum non dissolvitur propter supervenientem af-

finatatem; jam ad. iurib. vel cognationem spiritua-lem, ex eod. cognat. spirit. vel furorem, aut simile impedimentum, c. Et qui matrimonium cum cap. seg. xxxii quest. 7, l. Parens iuriso 8, D. De his qui iure sui vel al. iur. quamvis à principio matrimonium

Dddd 3

sub-

subistente huiusmodi impedimento, contrahi non poterit. Sic presentatus ad Ecclesiam ab eo, qui in possessione erat juris patronatus, non remouetur, licet presentans postea iure patronatus cadat, cap. Consultationibus 19, ext. De iure patron. cap. Querelam 24, Ext. De elec. Videmus & testamentum iure factum, non ob id infirmari, quod testator postea in furorem actus sit, §. praterea. Insuper. Quibus non est permiff. fac. testam.

Exaudienda autem hæc Regula est, nisi effectus ejus, quod legitime factum est, ad impossibile redigatur. Quâ ratione extinguitur stipulatio, si res, quæ utiliter in stipulationem deducta est, sacra, vel religiosa fiat, vel aliter commercio hominum eximatur sine facto promissoris. §. item contra Insuper. De inutilib. stipular. l. Si ex legati 23, D. De verbor. oblig. Item evanescit stipulatio servitutis

ad fundum meum, si priusquam re ipsa constituitur servitus, alienaverit fundum, vel etiam partem fundi mei pro indiviso, eod quod servitus sine fundo, vel pro parte fundi mei, quam pro indiviso retineo, constitui non possit, l. Pro parte 11, D. De servit. l. Pluribus 146, §. fin. D. De verb. obligat. Simile est in sponsalibus, quæ licet legitime contracta sint, distrahuntur tamen per subsequens cum alia matrimonio, cap. Sicut 22, cap. penult. Ext. De sponsalib. nec non propter affinitatem, c. Ex liturgia, 8, cum cap. seq. De eo qui cogn. consang. religionis ingressum, cap. 2, cap. Ex publico. De convers. conjug. de quibus latius in Summa de sponsalib. Quia his speciebus, sponsalia in eum casum deveniunt, quo effectum sortiri non possunt. Coniuge, quæ supra diximus, ad cap. Non firmatur sup. eod.

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

Recurte ad ea, quæ tradidimus ad c. Privilegium 7, & ad c. Quæ à jure 28, sup. eod.

REGULA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

AD id, licet fides ab altero addicta iurejurando firmata sit; adhuc eam fidem frangen-
ti, fides impune non servatur, cap. 3, Ext. De iurejur. cum semper tacite interesse intelligatur, si modo alter fidem à se promissam servaverit. Unde in locatione, si conventum sit inter locatorem & conductorem, ne intra certa tempora conductor de re conductâ in vitis expellatur; & si contra factum fuerit, decem pœnæ nomine præstentur; non committetur stipulatio pœnæ, si pensionem non solvent conductor, & rem ut oportebat, non coluerit; cum hæc tacite insint conditioni, l. Quare 54, §. inter locatorem D. Locati, junct. l. 3, C. eod. sit. Similiter in societate, ubi ea ad certum tempus contracta est, & lex ei adjecta, ut si legi non paruerit socius, alter recedat ante tempus renunciet Societati, l. Si convenerit 14, D. Pro socio. Quâ ratione & feudo receptum est, ut si dominus feloniam, id est, perfidiam vel improbitatem commiserit in vasallum suum; vasallus iuste illi denegeret servitia feudalia: siquidem nature

feudi in est fides mutua, sive, ut appellant recipere ea domini & vasalli, cap. Unico, §. domino committente, Si de feudo defuncti cont. cap. unico in fine De forma fin. lib. Secunda. Acque hæc & similia dubitationem non habent, ubi culpa alterius fides non servatur. At si casu vel necessitate quis impeditur sit, majoris questionis est: sit puro nihil magis illi fidem servari oportere, per textum in l. Ex conducto, 16, alias incipit l. Si uno §. item cum quidam D. Locati, præsertim in contractibus innominatis, in quibus pœniteatix locus est, l. Si pecuniam 5, in prime. D. De condit. ob caus. Non obstat textus in l. In civile 12, C. De revind. quo loco venditor, pretio non soluto ab emptore, agere non potest, ut res vendita & tradita, sibi restitatur, sed agit ad pretium. Quia id sit, quod venditor fidem emptoris secutus, per traditionem abdicaverit à se dominium rei & in emptorem transfulerit, §. vendita, Insuper. De rerum divu; unde superest tantum, ut ad pretium agat.

REGVLA LXXVI.

Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

SI nemo alterius odio prægravari debet, *cap. Non debet sup. eod. l. l. Si quis 32, §. legu C. De inoff. testam. si delicta suos tenent auctores, l. Sancimus 12, C. De pœnis; si ratio non patitur, ut alteri per alterum iniqua conditio inferatur, l. Non debet alteri D. hoc nostrorum. profectò nec delictum personæ detrimento esse debet Ecclesiæ, juxta hanc reg. nostram. Per personam intellige quàmcumque; etiam Episcopum sive alium Prælatum Ecclesiæ. Cùm enim, ut dixerit ait Alexander III. Episcopus & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, non dominus; constitutionem Ecclesiæ meliorare potest, facere vero deteriolem non debet, e. 2, Ext. De donat. Hinc ob delictum Episcopi vel alterius Clerici jubentur bona Ecclesiæ illa servari, *can. si Episcopum vvi. quast. 6, cap. 2. De heret. in Clement. etiam si bona feudalia sint, & ob feloniam in commissum ceciderint, cap. 1, in fine de Corrad. in libe. Feud.* Quod pertinet quod eleganter post Glossam tradit Panormitanus, *ad cap. Si quis num. 4, §. num. 12, Ext. De rebu. Eccles. alien. quod & ipse Prælatus Ecclesiæ rem male à se alienatam possit Ecclesiæ nomine repetere, etiam allegando propriam turpitudinem, probatur per d. cap. si quis, in d. l. 1, C. D. liberali causa. Neque obstat huic Reg. titulus Decretal. de præscriptionibus; quo propter negligentiam Prælati contra Ecclesiam suam currit præscriptio. Quia hoc publicæ utilitatis causâ receptum est in præscriptione, ne dominis rerum in incerto sint, l. 1, De usurp. & usucap. & ut aliquis sit litium finis, l. fin. D. Pro suo Gijus meminimus supra ad cap. Locupletari. Porro & in rebus nondum acquisitis Ecclesiæ potest Prælatus nocere Ecclesiæ; puta, non agnoscendo legatum**

vel hæreditatem delatam Ecclesiæ: Ita Panormit. *ad cap. 1, num. 9, Ext. De in integ. restit.* Siquidem aliud est nocere, aliud non prodesse, *l. si Sponsus §. si maritus, D. De donat. 10, inter vir. & uxor.* Nam & Justinianus illam juris regulam, qua definit, deteriolem conditionem per servum domino nullo modo fieri posse; in eum casum accipit, cùm dominus de damno periclitatur, non cum sibi lucrum per servum acquiri desiderat, *text. in l. fin. C. De acquir. & verin. possess.* Nec mutat, quòd hæreditas & legatum ipso jure in Ecclesiam transeat absque ulla agnitione Prælati, *l. fin. C. De SS. Eccles. l. à Titio D. De furt.* Quia nihilominus acceptatione Prælati sive Ecclesiæ opus est, antequam ejus dominium planè transeat in Ecclesiam. Juvat & hanc sententiam textus in *l. Qui 6, alias incipit. Quod autem, §. 1, & §. 2, D. Qua in fraud. cred. & in cap. Quoniam, 13, Ext. De decimis.* Non tamen difficultate caret, adeò ut & ipse non omnino sibi constet Panormitanus, *ad cap. Tua nuper num. 9, Ext. De his que sunt à Pralato, Nam & contra urgetur, in d. l. fin. C. de SS. Eccles. junctim l. Sicut 43, in fine D. De religiof. & sump. fun. Vide Roman. consil. 214, Petr. de Ancor. consil. 135.* Illud certius est, Prælatum, qui vel præscriptione passus est rem auferri Ecclesiæ, vel non acquisivit, conveniri posse in id, quanti interest Ecclesiæ, *arg. l. Quicquid 7, C. Arb. tut. Adde Panormit. ad cap. 1, num. 9, Ext. De in integ. restit.*

Objeitur contra hanc regulam textus in *l. lubeamus nullam 10, C. SS. Eccles.* Sed hæc lex Ecclesiæ rebus nihil præjudicat, cum sacris Canonibus adversa sit, *in cap. Ecclesia S. Maria Ext. De constit.*

REGVLA LXXVII.

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur, in honore.
Pertinet ad ea quæ diximus ad cap. Qui sentit. 55, supra eod.

REGVLA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa,
Hujus Regulæ explicatio pendet ex his, quæ retulimus ad cap. Privilegium 7, & ad cap. Quæ à jure 28, supra eod.

REGV-

REGVLA LXXIX.

Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

Convenit cum l. Nemo plus iuris D. hoc tit. Exemplum requirit in cap. Nuper 6, Ext. De donat. inter vir. & ux. unde & hæc Regula desumpta videtur. Et hinc traditio nihil amplius transfert in alium, quam est apud eum, qui tradit: puta, si dominus sit, transfert dominium, præcedente scilicet iusto titulo, l. Traditio 20, junctim. R. de 31, D. De acquir. rer. dom. alioqui usucapientia præscribendi conditionem, l. Clavib. 74, D. De contrah. empt. Quod si res onere affecta fuerit apud auctorem, idem onus relinquitur & apud successorem, d. l. Traditio, cap. Ex licet 5, circa fin. Ext. De pignorib. cap. Pastoralis 28, De decimis. Non debet, inquit Ulpianus, meliora conditionis esse, quam antea meus, & quo ius in me transit, l. In is 175 §. 1, D. hoc nostris tit. Quod etiam fit, ut, si fundo vendito, ea lex adjecta sit, ut si certo tempore pretium vel pensio soluta non fuerit, idem fundus ad venditorem redeat, & postea ab emptore fundus pignori datus sit, evanescat jus pignoris, si solutioni satisfactum non fuerit ab emptore, l. Lex vestigali 31, l. Grego 13,

§. 1, D. De pignorib. Resoluto enim jure auctori res solvitur & jus successoris, d. l. Lex vestigali, & de Nuper Ext. De donat. inter vir. & ux.

Neque huic Regulae adversatur idem Ulpianus, dum ait: Non est novum, ut qui dominium non habuit, alii dominium præbeat; nam & creditor pignus vendendo causam dominii præstat, quam ipse non habuit, ut tu est in l. Non est novum 46, De acquir. rer. dom. Non, inquam, adversatur: quia id voluntate debitoris fit, qui ita pactus est, ut pecunia suo die non soluta, creditori liceret pignus vendere: at nihil interest, suam rem quis vendat, an alieam voluntate domini, l. Qua ratione 9 §. nihil ansem interit, D. d. i. c. De acquir. rer. dom. Quod enim quis per alium facit, per se ipsum facere videtur, & qui facti sup. eod. Idem est, si legis auctoritate dominium transferatur, veluti, cum a tutore, vel curatore res minoris, l. Iex qua 12, C. De administr. tut. & a Prælato res Ecclesie, alienantur, servata jurisforma, in cap. Sine exceptionibus 111. qu. 2.

REGVLA LXXX.

In toto partem non est dubium contineri.

Vide, quæ diximus ad cap. Plus semper 35, sup. eod.

REGVLA LXXXI.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

Stimateur exempla ex cap. fin. De offic. Vicarii lib. 6, & ex cap. 1, De penitent. & remiss. eod. lib. Unde hæc sententia huc reducta videtur. Item ex l. Filiusfamilias, 7, D. De donat. & ex l. Obligatione, 6, D. De pignorib. Adeoque obtinet hæc Regula, etiam si concessio generalis iurejurando confirmata sit, cap. Quomodo, 21, Ext. De iurejur. l. Si iuberis, 30, D. De oper. liberor. Neque enim iuramentum defectum consensus supplet, l. fin. C. De non num. pecun. Ceterum, unde hæc verisimilitudinem colligimus? Respondet Glossa, hic, ex impossibili, vel inhumana vel dura separatione, ut in d. l. Obligatione, cum 3, l. segg. Obligatione gene-

rali rerum, inquit, textas, qui quis habuit habiturus, vè sit, ea non continebuntur, quæ verisimile est quemquam specialiter obligaturum non fuisse: ut puta supellex, item vestia relinquenda est debitori, & ex mancipio, quæ in eo usu habebit, ut certum sit eum pignori daturum non fuisse. Proinde de ministerio ejus perquam necessariis, vel quæ ad affectionem ejus pertineant, vel quæ in usum quotidianum habentur, &c. addo l. 1. C. Quæ res pig. oblig. & l. Possessionum 11, C. Com. utriusque jud. Item ex eo, si alicui tertio præjudicet, l. 1. §. merito & l. si quis D. No quid in loco publ. cap. 1. De capit. qui cur. vend. in lib. Feud. vel turp. inhonesta & impossibilia sunt, cap. 1. De jurisp. lib. 6.

lib. 6. cap. Quintavallis 25. Ext. eod. adde & cap. Quanto
18. Ext. eod. tit. vel salva dignitate fieri non possint,
l. Nepos Proculo 125. D. De verb. signif. vel si maioris
momenti fiat, ut in cap. fin. de offic. Vicarii, lib. 6. cap.
2. De panis & remiss. eod. lib. 6. & l. Filii familias 7. D.
De donat. Quod spectat responsum Cuius C. Si cui,
inquit, simpliciter via per fundum cuiusquam cedatur
vel relinquatur in infinito, videlicet per quamlibet eius
partem ire, agere licebit; si civiliter tamen modo. Nam qua-
dam in sermone tacite excipiuntur: Non enim per villam
ipsam, nec per medias vineas ire, agere sinendus est; cum
ad aequè commodè per alteram partem facere possit minore

servientis fundi detrimento textus est in l. Si cui 9. D. De
servit. Neque movet, quod generalia generali-
liter sint accipienda, l. 1. §. generaliter D. De leg. prest.
l. Item apud 15 §. generaliter D. De iur. & quod spe-
cialia generalibus insunt, Semper specialia 174. D. De
reg. iur. item; contra eum debet fieri interpreta-
tio, qui legem dicere potuit apertius, cap. Contra
eum, supra eod. Non, inquam, hæc movent; quia re-
stringenda sunt, nisi ex verisimili coniectura lo-
quentis vel disponentis aliud colligatur, de qua
re fufius egimus ad c. In obscura, & ad cap. Contra
eum supra eod.

REGULA LXXXII.

Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

Hanc Regulam confirmat textus in l. Quem-
admodum, 7. in fine Cod. De agricol. & cens. Fi-
dei autem nomine hic intelligimus con-
scientiam; ut & alibi, in cap. fin. Extr. De præscript. &
in cap. 2. sup. eod. ita quod bona fides, idem sit quod
bona sive illæsa conscientia, quam utique habe-
re non præsumitur, qui iure prohibente mer-
catur, facit l. Bona fides 109. D. De verb. signif. l. 3. D.

Ad leg. Fab. de plag. Ratio est: quia cum quilibet a-
ctiones suas ad normam iuris dirigere teneatur,
præsumitur non ignorare ius, vel saltem peritio-
res antea consuluisse, l. Leges sacratissima 9. C. De le-
gib. cap. 1. cap. 5. Extr. De constitut. unde necesse est
eum non bonâ fide agere, saltem præsumtivè,
per text. in l. Dolus 44. D. Mandati. His coniunge,
quæ diximus ad cap. Ignorantia supra eod.

REGULA LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut semel actum iterum exigatur.

Locupletaretur enim cum alterius detri-
mento, contra naturalem æquitatem, l. iure
naturali 206. D. hoc tit. & l. Nam hoc natura 14.
D. De condic. indeb. dixi latius ad c. Locupletari 48. su-
pra eod. Quare is, qui iterum exigit, modò repelli-
tur ipso iure, modò oppositâ doli mali exceptio-
ne. Ipso iure, si solutio eius, quod debetur facta
est: nam solutione tollitur obligatio, Inst. Quibus
modis toll. oblig. in princ. etiam si illa ignorante, vel
invito etiam debitore, ab alio facta sit, Inst. d. loco,
l. Solvendo 40. D. Neg. gestor l. Solutionem 23. & l. Sol-
vere 53. D. De solut. Doli mali exceptio; puta, si
solutio facta sit pupillo, absque tutoris autori-
tate. Nam licet debitor hac solutione non libere-
tur à pupillo; tamen si pecunia soluta adhuc ex-
tet apud pupillum, aut ex ea locupletior factus
sit, tunc se debitor iterum conventus doli mali
exceptione, §. penult. Inst. Quibus alien. licet. Quap-
doque tamen semel soluti exactio iterum conce-
ditur; veluti in eo, qui ex chirographo suo con-

ventus, negat suum esse chirographum; aut sibi
numeratam esse pecuniam: nam convictus men-
daci solvere cogitur, etiam si antea solverit,
Auth. Contra Cod. De non num. pecun. sumpta ex §. stu-
dium, Nov. de triente & semisse. Idque propter inficia-
tionem suam, & sic ex nova causa. Interdum & in
diversis personis duplex exactio admittitur; pu-
ta, si una res duorum testamentis eidem legata
sit: etenim legatarius æstimationem rei ex uno
testamento consecutus, ex altero nihilominus
rectè agit ad ipsam rem consequendam, §. Res alie-
na vers. hac ratione Inst. De legat. Et qui rei vindic-
ationem intentavit, contra eum, qui dolo defuit
possidere (cum hic pro possessore habeatur) & æ-
stimationem recepit, non prohibetur etiam ip-
sam rem à novo possessore vindicare, l. Stichum 95
& dolo D. De solutionib. Idem est in interdicto de ta-
bulis exhibendis, l. 3. §. condemnatio D. De tabul. ex-
hib.

Non minus hæc Regula transferri potest ad
Eccle pœnas

pœnas; ut si cui delicti nomine semel pœna infligta est, amplius eadem vel aliâ affici non possit, *cap. 4. in fine Ext. De judic. l. Sanctio 41 in fine D. De pœnis, l. Omnes: 3 cum l. seq. Cod. eod.* Contra diversos vero ejusdem delicti nomine eadem pœna recte repetitur, ut in causa injuriarum, *l. 1. §. fin. D. De injur. furti, l. Vulgaris 21. §. pen. D. De furt. Legis Aquilæ, l. Ita vulneratus 51. D. Ad leg. Aquil.* Illud addubitari possit, an cum unum idemque deli-

ctum tam jure Canonico quàm Civili coercetur, unius coercitio alteram abolet? Quod certe non videtur, *per text. in c. fin. De pœn. lib. 6. ex c. 2. Ext. De maled.* cum jurisdictione Ecclesiastica seculari non deroget, neque è diverso secularis Ecclesiasticæ, *cap. Per venerabilem 13 Qui filii sint legit. can. Cum ad verum distinct. 96.* De quo latius Covarruvias consulatur, *lib. 2. Varar. r. fol. c. 10.*

REGULA LXXXIV.

Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

Non scilicet fraus fiat legi. Ut ecce, qui in Prælatum electus est, sicut ante confirmationem suam, Ecclesiæ res administrare tamquam Prælatus non potest, ita neque nomine procuratorio vel œconomi, *cap. Avaritia 5. De elect. lib. 6. & maritus, qui ob adulterium uxoris ad divisionem thori agit, licet nomen, locum, & tempus, aliaque solemnia libello comprehendere teneatur, de quibus in l. 3. D. De accus. non tamen ad pœnam talionis, si in probatione defecerit, se obstringere poterit, ne hac saltem via separationem impetret, cap. Tua 5. Ext. De procurat.* Aliisque exemplis, si opus esset, hæc Regula illustrari possit.

Est autem exaudienda, quoad id, quod principaliter lege prohibetur. Secus si in modo aut in via prohibitio sit: tunc enim interdictum non est, alio modo aut viâ legitimè rem explicari. Licet enim illegitimus in Episcopum eligi non possit, postulari tamen poterit, *cap. Innovatus 20. Ext. De elect.* Hæreditas pactionibus relinqui quidem non potest, testamento tamen potest, *l. Hæreditas 5. C. De pact. convens. l. Licet 29. C. De pact.* Qui juravit se non accusaturum uxorem suam adulterii, etsi accusare eam non possit, denunciare tamen

non prohibetur, *cap. Quemadmodum 25 §. fin. Ext. De jurejur.* Idem evenit in actionibus: ut exempli gratiâ, ad rem empram male agitur actione locati, vel depositi: rectè tamen capri actione agitur, eò quòd his & similibus speciebus, non res ipsa, de qua quæritur, sed modus vel via agendi ad rem tantum prohibeatur.

Altera hujus Regulæ declaratio est, si utraque via ad eundem effectum ducendâ tendat, ut in exemplis prius adductis: persæpè enim in consequentiam alterius rei idem effectus sequitur, sicut eleganter ostendit Ulpian. in tutore, qui licet in rem suam pupillo auctore esse non possit, ut pupillus sibi obligetur; potest tamen sui debitoris hæreditatem aduati pupillo auctoritatem suam accommodare, ut sic per consequentiam pupillus sibi obligetur, *l. 1. §. l. Quod dicimus 7. D. De auctore. & cons. tur.* Sic jus patronatus, etsi per se, id est, separatim emi non possit, *c. De jure 16. Ext. De jure patronat.* rectè tamen sequitur emptionem universitatis, in qua inest, *cap. Cùm saculum 13 eod. De jure patron.* Quâ ratione & stipulatio alteri facta, tamen si inutilis sit, pœnæ tamen adjectione in consequentiam sustinetur, *§. alteri Inst. De inutil. stipul.*

REGULA LXXXV.

Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.

Assentitur juris Civilis Regula, in *l. Contractus 3. eodem tit. in l. 1. §. si conveniat. D. Depos.* Lex etsi idem sit quod pactum adjectum in contractibus, sicut supra exposuimus, *ade Contractus sup. eod.* melius tamen est hic legem accipere pro forma contractus, ut potè quòd ex con-

ventionione, propria contractus natura aliter formetur, *l. Iuris gentium 7. §. quinimo D. De pact. actio-* que eo nomine vel ex ipso contractu, vel præscriptis verbis, *l. 2. C. De pact. inter empt. & vend. l. 6. C. De ver. permus.* vel certè conditio detur, *l. Legem 10. C. De pact.* Præterquam si conventio sit rei tur-

pis, aut impossibilis, aut contra jus, *cap. fin. de pa-*
ctis, l. Pacta 6. C. eod. de pact. aut ad delinquendum
invitet; qualis est, ne dolus praestetur, *l. Si unus 27*
§. Illud D. de pact. ne ob res amotas agatur, l. Conve-
nire 5. D. de pact. dotalib. Quod si delictum sive do-
lus admittitur, nihil prohibet delictum vel do-
lum conventionem remitti, *d. l. Si unus §. pacta.* Ex
hac Regula efficitur, quod et si depositarius ex
natura contractus tantum teneatur de dolo &

lata culpa, quae dolus praesumptus dicitur, *l. 1. §.*
in conducto in fine §. ult. l. Quod Nerva 12. D. de positi,
recte tamen conveniatur & de omni culpa & de
casu fortuito, si ita conventum sit *d. l. 1. §. si conve-*
niat, d. l. Contractus 23. D. hoc nostro tit. cap. 2. Extr. de
pos. Quod & in ceteris contractibus evenit; si qui-
dem contractus ex conventionem legem accipi-
unt, ex hac Regula nostra.

REGULA LXXXVI.

Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

Non minus eleganter Pomponius: *Quod*
quis, inquit, ex culpa sua damnum sentit, non
intelligitur damnum sentire, l. 20. D. hoc tit. Vi-
delicet juris interpretatione, quod jus huic dam-
no non patrociniatur. Quod spectat illud Justiniani:
Qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri,

hoc est, sibi imputare debet, §. si insit de sociis. Et quod
Ulpianus respondit: Stare autem debet sententia arbi-
tri, quam de re dixerit, sive aqua sive iniqua sit, & sibi
imputet qui compromisit, l. diem 27. §. stari D. de recept.
arb. Pete aliud exemplum ex cap. Si Clericus 11. de
praben. lib. 6.

REGULA LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant dignitatum.

Idem constitutum est ab Alexandro Impera-
tore his verbis: *Neque famosis & notatis, & quos*
scelus aut vita turpitudine inquinat, & quos infamia
ab honestorum coetu segregat, dignitatis porta patebunt,
textus est in l. 2. Cod. de dignitat. Est autem infam-
ia, diminutio existimationis, quæ quandoque
auctoritate juris fit, ut in exemplis, l. 1. cum ll. seqq.
D. de his qui not infam. l. 7. de publ. jud. inf. can. infam.
mei v. quaest. 1. cap. Testimonium 54. Extr. de testibus.
quandoque bonorum & graviorum virorum ju-

dicio, *Exempla sunt in l. 2. D. de obseq. à liberis, l. Ea*
que, 13. l. Verbum 17. C. Ex quib. caus. infam. Illam
vulgò infamiam juris, hanc facti vocant: utraque
hac Regula continetur. Quis, inquit Ecclesiasti-
cus, cap. 10. circa fin. honorificabit ex honorantem ani-
mam suam? Quocirca infamia nedum à dignitate
obtinenda, verum etiam ab obtenta remoyet, l.
Infamia, 8. C. de decurio l. 11. C. de dignit. Adde tex-
tum in cap. Inter dilectos 11. de excessib. Pralator.

REGULA VLTIMA.

Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra
legis nititur voluntatem.

Addendum hic est, ex constitutione Imp.
Theodosii & Valentini, quæ hæc eadem
Regula continetur: *Nec poenas legibus infer-*
tas evitabit, qui se contra juris sententiam sive preroga-
tiva verborum fraudulenter excusat, in l. Non dubium 5
C. de legib. Ut hinc intelligimus, non minus eum
pœnâ legis dignum esse, qui salvis verbis legis
sententiam ejus circumvenit. Ratio ex eo pendet,
quod respondit JG, Scire leges, non est verba earum

tenere, sed vim ac potestatem. l. Scire 17. D. de legib. Ita
ut rectè post Accursium dixerit Bartol. ad l. Con-
tra 29. D. eod. quod quis possit offendere verba le-
gis, dummodo mentem legis non offendat; ubi
scilicet, mens legis certa est, per l. Adigere, 6. §.
quamvis D. De jure patron. at in obscuro magis ad-
hærendum est verbis legis, arg. l. Non aliter Dele-
gat. 3.

Eccc 2 TRACTA-

TRACTATUS

DE

DIFFERENTIIS JURIS CANONICI ET CIVILIS.

Hic in primis retinendum est eam esse affinitatem inter jus Canonicum & Civile; ut quod in uno desideratur, ex altero recte petatur, per textum in cap. r. Ext. De novi operis nuntiat. ubi his verbis Lucius III. S. Pontifex: Quia vero sacras leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur. Ut hinc nata sit hæc regula apud Od. nostros. quod ubi jus Canonicum in re aliqua deficit, ibi licet recurratur ad jus Civile, & contra, supplendi, vel interpretandi alterius causâ. Et hæc regula motus idem Lucius in d. cap. 1. censuit capellam in alterius Ecclesiæ præjudicium ædificatam post denuntiationem novi operis, diruendam esse, juxta præscriptum juris Civilis in l. 1. in l. Prator ait 20 § au prator, & passim D. De novi operis nuntiat. Idem & Innocentius III. in cap. 2. Ext. eod. tit.

Quod & aliis exemplis confirmant alia loca Decretalium, quibus summi Pontifices decisiones suas etiam inter Clericos & in rebus Ecclesiasticis, petunt ex juris civilis constitutionibus, ut videre est in c. 2. Ext. de alienat. judicii mut. caus. factâ, in cap. Innotuit. 2. in cap. Dilecti. 4. De arbitris, in cap. 1. De juramento calum. in cap. 1. De confessis, in cap. Si diligenti. De foro compet. cap. 2. & cap. Pastoralis. 5. De causa possess. & propriet. c. In causis. 15. & cap. Cum à nobis. 18. De testib. c. Cum dilecti. 4. De confirmat. utilis, cap. Cum ab omni. 10. De vita & honest. cleric. cap. 2. De concess. præbendâ, cap. Inter alia De immunitate Ecclesie. 1. De sponsalib. cap. 9. De penis, cap. Cum secundum. 19. De heretico in. 6. cap. Si iudex laicus Desent. excommunicat. eodem libro. 6. cum similibus. Ita quod verissimum sit jus Canonicum à jure Civili juxari, ubi illud deficit. Pro cuius ratione facit illud Proverb. 8. cap. Per me Reges regnant & legum conditores: justa discernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Et quod sacri Canones discrete affirmant, leges Romanas per ora Principum promulgatas venerandas esse, in capite. fin. xvi. quæstion. 3. & in can. Sive conjugii xxxiii. quæst. 2.

Ut & hinc recte constitutum sit à jure Canonico, ut si Judex Ecclesiasticus neglectis juris Canonici vel Civilis constitutionibus, aliter sententiam dixerit, ipsa vel jure nulla sit, vel justè ab ea provocetur, cap. 1. & ibi DD. Ext. Desent. & re judic. Sententia (inquit Canon) contra leges Canonice prolata, licet non sit appellacione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure. Ecce quanta juris Civilis auctoritas sit in decidendis etiam causis Ecclesiasticis. Atque hujus regulæ auctor est Felius in cap. Ecclesia S. Mariae. 10. num. 37. De constitut. Cui assentiuntur Panorm. in repetit. ejusdem c. num. 16. & 17. & Decius ibid. num. 104.

Quæ tamen regula non perpetua est, sed suis limitationes habet. Ac principio ea intelligitur, ubi jus Civile favorabile est, hoc est, commodum & incommodum simul adfert personis vel rebus Ecclesiasticis, uti fit in contractibus. Ceteræ enim si quæ tantummodò damnosæ sunt personis vel rebus Ecclesiasticis, eas in dubio tamquam Ecclesiasticæ libertati adversas, sacri Canones non probant, ut est in cap. fin. De immunit. Ecclesie in 6. cap. 1. De iureiur. eod. lib. 6. & cap. 1. Ext. De conjunct. Panorm. Decius sup. cit. locis.

Secunda limitatio est in legibus sive constitutionibus Principum sæcularium, quæ nominatim meminerunt personarum vel rerum Ecclesiasticarum. Has enim expressè repudiat jus Canonicum per textum in dict. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. Ext. De constitutionibus, cuius verba hæc sunt: Nos attendentes, quod à laicis (etiam religiosis) super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis obsequio, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Eadem sententia repetitur in cap. fin. Ext. De reb. Ecclesie alienat. & longè antè id constitutum fuit in Synodo Romana tertia à Symmacho Papa, ut videre est in can. 1. dist. 96. His igitur

juribus omnis potestas omnisque jurisdictio detraha est laicis disponendi de personis & rebus Ecclesiasticis. Et non sine ratione, ne qui quæve semel Deo dicata sunt, temerè ad humanos usus revocentur, contra juris Canonici regulam: *Semel Deo dictum non est ad usus humanos transferendum*, cap. 51, De reg. juris in 6. Quare etiam alius locis disertè cavetur, ut Clerici, eorumque res Ecclesiasticæ, jurisdictioni seculari subdantur, sed omnino referentur Ecclesiasticis Judicibus, cap. 4, cap. 8, c. 10, & cap. 17, Ext. De judic. cap. 2. & cap. 12, Ext. De foro compet. can. Denique dist. 96, can. 1, cum aliquot seqq. x1. quest. 1, cap. 4, & cap. 7, Ext. De immunit. Eccles. cum similib. Atque hæc non tantum obtinent in inferioribus laicis, sed & in Imperatoribus, Regibusque superiore non recognoscantibus; ut ne hi quidem in personas, vel in res Ecclesiasticas quid statuerè possint, ut rectè simè tradit Panor. in d. cap. Ecclesia sancta Maria De constitut. cui & Felinus ibid. num. 40, vers. recipit, & Decius num. 88, cum aliquot seqq. tacitè accedunt. Eiusdem quoque sententiæ sunt ibidem, Imola num. 9, & Henricus Boich num. 1, Ita quod dubium non sit, eam quoque sententiæ à cæteris DD. passim receptam esse. Quippe hi omnes etiam laicorum numero recensentur in can. Duo sunt x1. quest. 1, Sed & ad id procedunt, etiam si Principum Constitutiones aliaque Statuta laicorum commoatim & favorem Ecclesiarum respiciant. Nec enim idèd magis valent propter defectum jurisdictionis, eod. Ecclesia sancta Maria, juncta l. fin. D. De jurisdic. om. iudic. Igitur ut valeant, Ecclesiæ acceptatione opus est.

Tertia ejusdem regulæ limitatio est in rebus spiritualibus, quæ propriè & naturâ suâ ad Ecclesiæ Prælatos pertinent, non ad secularem potestatem; ut est Matrimonium, aliaque Sacramenta, item Jurisjurandum. Quod non tantum liquet ex d. can. Duo sunt, cum can. seq. sed etiam ipsius Justiniani testimonio comprobatur in Novel. 8, in princ. ubi Justinianus ea, quæ divini juris sunt, ad sacerdotium, non ad imperium refert; atque ideirò hæc in re nullius momenti sunt constitutiones civiles.

Quarta limitatio est, ubi lex sive constitutio civilis peccatum continet, ut est concubinarus, usura, malæ fidei præscriptio, quæ jus Canonicum non admittit, ex ratione cap. fin. Ext. De præscriptio. ubi Innocentius III. improbandam malæ fidei præscriptioem, hanc generalem causam ibidem subjicit: *Cum generaliter sit omni constitutio-*

in atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Quod referri quoque debet, ubi de peccato defuncti agitur ab hærede ejus expiando, per restitutionem ejus. quod defunctus debuit, ut in cap. ult. Ext. De sepulturis.

Quinta limitatio est, ut si extra præmissas limitationes jus Canonicum a jure Civili discrepet, utrumque in suo foro observandum sit, hoc est jus Canonicum in foro suo Canonico sive Ecclesiastico, & jus Civile in foro suo Civili sive seculari. Panor. in repetit. d. cap. Ecclesia sancta Maria num. 19, & in cap. 1, num. 7, Ext. De novi operis nuntiis & post eum Decius in d. cap. Ecclesia sancta Maria num. 110, Glossa in cap. 2, De arb. p. lib. 6. & ibi not. Et ratio est, distinctio jurisdictionis utriusque Ecclesiasticæ & Civilis, quarum altera alteram non impedit, sed utraque jure suo vivit, can. Cum ad verum, can. Si Imperator distinct. 96, ut & faterur S. Pontifex in cap. Novus. 11, Ext. De judic. Non potest, inquit, aliquis, quod jurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare aut minuire intendamus, cum ipse jurisdictionem nostram nec velit nec debeat impedire. Idem indicat & in c. Per venerabilem 17, vers. id autem in patrimonio Ext. Qui filii sint legitimi. Unde & in c. Causam qua 7, Ext. Qui filii sint legit. revocat Summus Pontifex mandatum a se emissum in præjudicium Regis Angliæ; apertè his exemplis demonstrans, jurisdictionem suam Ecclesiasticam distinctam esse à seculari, neque suam impedire alteram in rebus, quæ neque spirituales sunt, neque Ecclesiasticæ, neque salutem animæ concernunt.

His igitur generaliter præmissis, descendamus in speciem ad ipsas differentias juris utriusque, in quibus scilicet jus Canonicum discrepat à jure Civili, præcipuas tantummodò earum recensentes. Nam si quæ aliter erunt, quæ fortasse hic non adducuntur, ea ex præcedentibus limitationibus facile decidi poterunt.

I. Itaque differentia est, quæ occurrit in c. Ecclesia sancta Maria 10, Ext. De constitut. quod in eo distinet à jure Civili, quòd indistinctè auferat laicis facultatem disponendi de personis vel rebus Ecclesiasticis, contra titulos C. De sacros. Ecclesie, De Episcopo & Clericis, De Episcopali auctoritate, et contra Novellam Justiniani, De sanctiss. Episcopo, Vt Clerici apud proprios Episcopos, cum similib. quæ quidem vigeant tunc post Justiniani, sed dissimulantibus tunc propter statum Ecclesiæ Summis Pontificibus.

II. Differentia est in cap. 1, Ext. De præscriptio. quod

Ecce 3;

quod

quod in eo differt à jure Civili, quòd in rescripto Summi Pontificis non necessariò inferatur hæc clausula, *Si preces veritate nitantur*; sed sufficit eam tacitè intelligi. Jus verò Civile hanc clausulam expressè requirit, alioqui eà omisà non valet rescriptum Principis, *l. fin. C. De diversis rescriptis*, ut supra in 5, limitatione.

III. Differentia est in *c. Quia propter De elect* ubi certa forma præscribitur circa electionem Episcopi; diversam verò tradit Justinianus in Novella 123, *De sanctis Episcopis* §. 1, de quo supra, ut in 2, limitatione.

IV. Differentia est sub tit. De aetate & qualitate & ordine præficiend. in 6 & in Clement. ubi quoad ordinandos Clericos dissentit jus Canonicum à civili, quod extat in d. Novella *De sanctiss. Episc.* §. Clericos autem De qua vide supra secundam limitationem

V. Est in *c. Quarenti* 26, *De officio & potest. Jud. delegati*, ubi delegatus S. Pontificis seateariam à se latam ipse executioni mandare potest intra annum, contra textum in *l. Iudex posteaquam* 55, *D. De re judic. Iudex* inquit textus, posteaquam dixit sententiam, Iudex esse desinit.

VI. Desumitur ex *c. 1, & c. 3, De pactis*, ubi nudum pactum servare jubemur ex parte etiam ipsius promittentis, adeò quòd ad ejus observationem constringi possit, sicut tradunt communiter Dd. in *d. cap. 1, testibus Panormit. & Imola ibid.* & Mart. Navarro *consilio* 16, num. 4, *de pactis*. Quod secus est de jure civili, quo nudo pacto non oritur actio, *l. Iuris gentium* 7, §. *sed cum nulla* & §. *quinimo* *D. De pactis*. Et cum hæc res periculum animæ contineat, eò quòd apud Deum nulla sit differentia juramenti & simplicis loquelæ, *can. Juramenti* 111. qu. 5, præferendum in hac re erit jus Canonicum civili, ut in 4, limitat.

VII. Est in *c. Quamvis* *De pactu* lib. 6, quo pactum filix cum patre initum de non succedendo patri, confirmatur juramento, eontra præscriptum juris civilis in *l. Pactum dotali* 3, *C. De collatione* in *l. Si quando* 35, §. *illud* *C. De inofficioso testam. juncta* *l. Non dubium* 3, *C. De legib.* Idque de jure Canonico efficit obligatio, quæ oritur ex ipso juramento inter Deum & jurantem, *cap. Debitorum* 6. *Ext. De jurejur.* Idem accidit (ut & hoc inferamus) in alienatione dotis & donationis propter nuptias, in quam licet mulier consentire non potest, *l. unica* §. *Et cum lex Iulia* *C. De rei uxoria act. Auth. Sive à me* *C. Ad SC. Vellejan.* etiam jurata de jure civili, ex *d. l. Non dubium*, confirmatur tamen ju-

ramento, ex præscripto juris Canonici, *cap. Cùm contingat* 28, *Ext. De jurejur.* adeoque hoc servari debet etiam in foro civili, *c. 2, De jurejur.* in 6.

VIII. Differentia est in *cap. 2, De arbitris* lib. 6, quo duobus ex tribus arbitris permissum est in causa compromissa procedere, tertio contumaciter vel aliàs voluntariè absente. At contra statuit jus civile, quo omnium arbitratorum præsentia in cognoscendo & definiendo exigitur; siquidem in tres compromissum est, *l. Si in tres* 20, *D. De receptis arbitris*. Et hanc differentiam refer ad 5, limitationem supra.

IX. Est in *cap. Epsi Clerici* 4, *Ext. De judic.* quo Episcopo licet dispensare cum Clerico adultero, & in levioribus delictis, contra jus civile, quo Judex gratiam facere non potest delinquenti, *l. 1, §. 1, D. Ad SC. Turpil.* cum non debeat esse clementior lege, §. *oportet* *Nov. 82, de iudicibus*. Præterea aliter puniuntur Clerici de jure Canonico, *cap. Cùm non ab homine* 10, *De judic.* aliter laici de jure civili, ut videre est *lib. 9, C. & lib. 48, in D. cum a libi.*

X. Est in *cap. Delicti* 6, *Ext. De judic.* quo necesse non est actionis nomen in libello exprimere. Aliter de jure civili, quo nemo in judicio sine actione experitur, *l. Si pupilli* 6, §. *fin.* *D. De negot. gestis*, *l. 1, in princ.* *D. De edendo.*

XI. Est in *cap. penult. Ext. De judic.* quo instantia judicii per lapsum triennii non perit, contra textum in *l. penult. in princ.* *C. De judic.* in quo & Camera Imperialis jus Canonico sequitur, teste *Mynsing. cent. 2, obs. 48.*

XII. Est in *cap. Si diligenti* 12, *Ext. De foro competentis*, quo Clerici etiam jurati renuntiare non possunt privilegio Ecclesiastici fori, & se subiacere seculari Judici, contra textum in *l. penult. C. De pactis*. Neque iuramentum Clericorum hac in re quicquam operatur, cum privilegium concessum Clericis, ne coram Judice seculari conveniantur, toti ordini Clericorum, non verò singulis principaliter concessum sit, *d. cap. Si diligenti*. Juramentum autem non obligat, ubi iudicium alterius vertitur, *d. c. Cùm contingat in fine* & *c. 2, De pactis* in 6.

XIII. Est in *cap. Significasti* 18, *Ext. De foro competentis*. quo Clerici iurisdictionem alterius Judicis Ecclesiastici prorogare non possunt, nisi assensu Episcopi sui. Diversum est de iure civili, quo consensus partium sufficit, *l. 1, & l. 2, D. De judic.*

XIV. Est in *cap. 3, Ext. De ordine cognis* quo cautum est, ut si causa natalium incidat in peritio-

acm

nem hereditatis, ut quia petenti hereditatem paternam obicitur, quod non sit legitimus filius, causa natalium referri debeat ad Judicem Ecclesiasticum; quod expedit, causa principalis hereditaria remittitur ad priorem Judicem secularem. Idem continetur in *cap. Lator* 5, *Ext. Qui filii sint legit.* Contrarium verò à iure civili receptum est, in *l. 2, C. De Indic. & in l. 3, C. De ordine iudicior.* quibus textibus questio status quoties in causam principalem incidit, simul tractatur coram eodem Iudice, licet alioqui idem Iudex de questione status non possit principaliter cognoscere. Diversum ideo à iure Canonico statutum est, propter matrimonium, ex quo causa natalium pendet, quod cum spirituale sit, ad Iudicem secularem non pertinet, *c. 2, Ext. De iudicio.*

XV. Differentia est in *cap. Sapè contingit* 18, *Ext. De restit. spoliator.* ubi remedium recuperandæ possessionis & in eum datur, qui non deiecit possessorem, sed à deiciente (quem Canones spoliatorem vocant) sciens & prudens rem eandem accepit, contra textum in *l. Cum à te* 7, *D. De vi & vi armata*, quo loco Paulus J. C. respondit, Interdictum unde vi, quod est recuperandæ possessionis, non competere adversus tertium, sed tantum contra eum, qui deiecit. Verùm iuris Canonici ratio hæc est, quod is, qui à deiciente sciens rem recepit, ipse quasi in vitium eius succedat, & quod parum interfit iniuste quis rem retineat, an invadat alienam, *d. cap. Sapè contingit.* Unde cum hæc res concernat animæ salutem, rectè existimat Paanom. in *d. cap. Sapè*, dispositionem Iuris Canonici servandam esse in foro civili.

XVI. Est in *cap. 1, in cap. seq. & passim toto tit. Ext. De testib. cogendis.* Hoc enim iure Canonico testis non potest ad dicendum testimonium cogi, sed moneri & induci debet; præterquam si odio vel gratiâ vel timore se subtraxerit, quo casu & cogi poterit. At iure civili indistinctè compellitur testis, *l. Si quando* 18, *C. De testib. l. 1, §. 1, in fine D. eod.*

XVII. Differentia est in *cap. Vigilanti* 5, in *cap. Si diligenti* 17, & in *cap. fin. Ext. De præscriptioib.* Quibus locis præscriptio absque bona fide non currit. Est autem bona fides conscientia bona, quæ putamus rem nostram esse, licet reverà ea aliena sit. Sic Modestinus vocat eum emptorem bonæ fidei, qui ignoravit rem, quam emit, alienam esse, aut putavit eum, qui vendidit, ius vendendi

habuisse; puta procuratorem aut tutorem, *l. Bona fidei* 109, *D. De verb. signif.* Bonæ fidei opponitur mala fides, id est, conscientia rei alienæ, *l. Certum* 22, *C. De rei vindicat. & §. si quis à non domino Instit. De rerum divis.* Itaque de Iure Canonico necessaria est bona fides in præscriptione rerum tam incorporalium quam corporalium, Adeoque ea toto præscriptionis tempore requiritur, *d. cap. Vigilanti cum similib. & cap. Possessor De reg. jur. in 6,* Siquidem qui alienam rem sciens affectat sive concupiscit, incidit in præceptum Dealogi, *Non concupiscas, &c.* Aliud est iure civili: quo etsi in præscriptione triennii, & longi temporis, initio bona fides exigatur, non tamen ea necessaria est ad complendam sive perficiendam præscriptionem, *l. unica C. De usucap. transform. l. Sequitur* 4, *§. de illo in fine & l. Si aliena res* 10, *D. De usucap.* Et in præscriptione 30. annorum ne quidem in initio bona fides exigitur, *l. Cum notissimi* 8, *§. 1, & l. 3, & 4, C. De præscript. 30, vel 40, annor.* Quare cum hic versetur in materia peccati, standum potius erit iuri Canonico etiam in foro Civili; ut & in Camera Imperiali receptum testatur And. Gail *lib. 2, observ. 18, num. 7.*

XVIII. Differentia est, quod licet is, cuius præscriptio interrupta est per litis contestationem, possit cessante iudicio novam præscriptionem inchoare & rem quadraginta annis præscribere, de iure civili, *l. fin. C. De præscript. 30, vel 40, ann.* non tamen id licet per ius Canonicum; cum iam constitutus sit in mala fide, utpote de iure suo ad dubitans, propter institutum contra se semel iudicium, *l. Nemo* 10, *C. De acquir. vel resin. posses.* At verò de iure Canonico necessaria est bona fides in præscribente, ut antè probatum est.

XIX. Differentia est in *c. Ut debitus* 9, & in *c. Cum causam* 62, *cum cap. seq. Ext. De appellat.* quibus appellatio permittitur ante sententiam de definitiva. Secus est de iure civili, *l. Ante sententiam* 7, *Cod. Quorum appellat. non recip. l. Apertissimi C. De iudicio.* Exceptis quibusdam casibus, qui à Glossa referuntur in *d. l. Ante sententiam.* Adde Concil. Trid. *sess. 24, c. 20, de reformat. & sess. 13, c. 1, de reformat.*

XX. Est in *c. 1, Ext. De his qua sunt à Pralat. juncto can. Sine except. 111, q. 2,* ubi in alienatione rerum Ecclesiasticarum sufficit utilitas Ecclesiæ, quæ alienationem suadeat; accedente tamen consensu & subscriptione Capituli. De iure verò civili maior solemnitas requiritur, ut videre est in *Auth.*

Hoc

Hoc jus porrellum est C. De sacros Ecclesiis Neque movet, quod hęc Authent. a Gratiano relata sit in Decretum suum, can. 2, § hoc ius x. q. 1. nec enim idēd Canonis vim habet, cum privatā auctoritate hoc fecerit Gratianus.

XXI. Quod res sacra, ut est calix, parena vel vestimentum sacerdotale, de jure Canonico pignori obligari possit, urgente justissimā necessitate, c. 1, Ext. De pignorib. Aliter de jure civili, l. 1, §. eam rem D. Quae res pignori vel hypotheca data oblig. c. l. 3, C. eod.

XXII. Est in c. Odoardus Ext. De solutionib. quo Clericus ob æs alienum in carcerem conjici non potest, neque bonis cedere cogitur; sed præstando cautionem de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam pervenerit, liberatur. De jure civili verò debitor, qui solvendo non est, ducitur in carcerem, aut bonis cedere compellitur, l. 1, Qui bonis eod. poss. Adde Covarr. Var. resolut. lib. 2, cap. 1, num. 9.

XXIII. Est in c. Cum esses 10, Ext. De testam. quo valet testamentum, neque impugnari potest, quod coram Parocho & tribus vel duabus aliis personis idoneis conditum est. Aliter verò de jure civili, quo regulariter non subsistit testamentum, nisi factum sit coram septem testibus, l. Hac consulesima 1, C. De testam. §. sed cum paulatim Instiit De testamentis ordin. adēd ut si unus testis desideretur, testamenti causa tora corruat, l. Si unus 12, C. d. tit. etiam quoad testamentum tempore pestis conditum, l. Casus majoris 8, C. eod. tit. Ubi animadvertendum est, quod et si fiat, qui existimant hanc solemnitate testamentariam juris civilis sublata per jus Canonicum in d. c. Cum esses, eò quod ratio ejusdem c. Cum esses nitantur divino jure, quo dicitur: *In ore duorum vel trium fiet omne verbum.* Verior tamen & receptior sententia est, decisionem d. c. Cum esses, locum tantum habere in ditionibus Ecclesiæ, id est, Romano Pontifici temporaliter subjectis, non verò in terris imperii, ubi jus civile sequimur, sicut videre est apud Jul. Clarum §. Testamentum qu. 57. Neque moveat jus divinum de duobus aut tribus testibus: quia ex causa potest Princeps à jure divino discedere, declarando illud non habere locum aliquo casu; veluti in testamentis propter evitandam falsitatem septem testes regulariter exiguntur. Item in homicidio, quod licet jure divino prohibitum sit, permittitur tamen Judici flagitiosos è medio tollere: tum defendendi sui causa concessum est culibet aggressorem suum occidere, l. Visum D.

De just. & jure, l. 2, C. Ad legem Corn. De scariis, cap. Significasti 18, Ext. De homicidio, Innocent ad c. 6. Quae in Ecclesiis num. 4, Ext. De constit. Covarr. in d. c. Cum esses n. 3.

XXIV. Differentia est in c. Relatum 12, Ex eod. De testam. Ubi voluntas ultima pietatis causa coram 2. aut 3. testibus legitimis facta valet, non obstante jure civili de 7, vel 5. testibus adhibendis, l. fin. in fine C. De eod. tit. c. d. l. Hac consules. Videliarius Jul. Clarum in d. §. Testament. q. 6.

XXV. Est in c. Cum sibi 13, Ext. eod. De testam. Ubi his verbis textus: *Dicimus, quod qui extremam voluntatem in alterius dispositionem commisit, non videtur discedere intestatus.* Quod certè contrarium videtur juri civili, quo necessariò requiritur hæredis institutio, ut quis testatus dicatur discessisse, l. Invenimus 29, C. De testamentis l. Hæres palam 21, D. eod. Quippe hæredis institutio est basis & fundamentum ipsius testamenti, l. fin. C. De eod. tit. c. d. l. Ante hæredis Instiit. De legatis. Præterea testamentum est voluntatis nostræ sententia, l. 1. D. De testam. Tum captiosa illa voluntas dicitur, quæ confertur in secretum alienæ voluntatis: ideoque à jure improbata est, l. Si quis Sempronium 68, v. atquin, l. Captatorius 70, cum l. seq. D. De hæredib. instiit. Quam differentiam utriusque juris sentit Glossa in d. c. Cum sibi. Alii verò Doctores existimant favore piæ causæ hoc permitti, ita ut, cujus dispositioni ultima voluntas permilla est, loco hæredis sit. Verum piæ causæ nulla sit mentio in d. c. Cum sibi, neque favore piæ causæ videtur remissa solemnitas juris, l. Generali 13, C. De sacros Eccles. Unde manet adhuc discrimen hære utriusque juris: nisi fortè velimus ita conciliare utrumque textum, quod ex verbis d. c. Cum sibi, hæredis institutio colligatur. Videtur enim is committendo voluntatem suam alterius dispositioni, dominum eum facere hæreditatis suæ; quod alioquin sufficit ad instituendum hæredem, l. His verbis 48, in princ. D. De hæredib. instiit l. Quoniam indignum 15, c. l. Testamenti C. De testam.

XXVI. Differentia desumitur ex c. Raynaldus 16, c. ex c. Raynaldus 18, Ext. eod. tit. De testam. utroque textu permittitur filio, si fideicommissio universalis gravatus sit à parente, detrudere legitimam suam & quartam Trebellianicam. Explicet Patet cõdito testamento instituit filium suum hæredem, eumq; rogavit, ut post mortem suam, si sine liberis discesserit, restituat hæreditatem alteri. Hic igitur filius, si sine liberis discesserit, primò detrahit sibi ex hæreditate paterna legitimam suam, id est,

id est, quatuor uncias, quæ efficiunt tertiam partem hereditatis. Deinde ex reliqua hereditate beneficio SC. Trebellianii duas alias uncias, quæ est quarta pars reliquæ hereditatis; ita quod ex duplici hæc detractio consequatur filius semissem, id est, mediam partem hereditatis patris, quam cui vult relinquere potest filius. Contra verò, jus civile uoam tantummodo detractioem admittit, vel legitimæ vel quartæ Trebellianicæ, §. *quamobrem Novell. 39. de restitutionib. l. Inbemus 6. in princ. C. Ad SC. Trebellian. Et l. Filium 24. Cod. Familia ercis* Jus Civile hæc rationem habet, quod legitima, quæ institutionis titulo ad filium pervenit, impuretur ei in quartam Trebellianicam, sicut & alia quæ consequitur iudicio defuncti, *In quartam 90. D. Ad l. Falcidiam*. Jus verò Canonikum hæc rationem habet, quod legitima debeatur filio ex præscripto juris, non verò ex liberalitate siue iudicio patris. Siquidem lex omnino jubet filio relinqui legitimam, quam pater auferre, diminuere, aut gravare non potest, *Auth. Novissima, Et l. Quoniam in prioribus Cod. De inoffic. testam.* Quare iusta causa est, ut præter legitimam suam filius detrahatur quoque Trebellianicam ex eadem hereditate, ne deterioris sit conditionis, quam extraneus hæres institutus idemque gravatus, qui quartam Trebellianicam detrahatur, *tototit. D. Et Cod. Ad SC. Trebell. Et Institut. De fideicommiss. hæreditatib.* Et hæc differentiam juris Canonici & Civilis observavit ex sententia Baldi Paulus Castrensis in *Auth. Res qua Cod. Communia de leg. & Iason in eadem Auth.* quamvis uterque restetur, jus Canonikum hæc in re ubique prævalere. Quod admitto, ubi consuetudo talis introducta est, & probari potest, per textum in *l. fin. Ext. De consuet. Et l. Minimo 23. D. De legib.* Suo qui utrumque iura inter se conciliant: Aut enim filius fideicommissi gravatus est purè, hoc est, absque ulla conditione; quo casu putant filium tantummodo legitimam suam, vel Trebellianicam solùm deducere posse: aut adjectâ conditione, si sine liberis decesserit; & hæc specie arbitrantur utramque legitimam & Trebellianicam filium detrahere posse, uti videre est apud Diō. Covarr. in *d. cap. Raynutium § 11. num. 10.* & Aud. Gail. *lib. 2. observ. 121.* ubi restatur communiter receptum esse. Sed veteror, ne hæc distinctio iure defendi possit, propter textum in *d. l. Inbemus C. Ad SC. Trebell.* Ubi etiam filius sub conditione, si sine liberis decesserit; dodrantem, id est, 9. uncias restituere tenetur. Vade cum hoc casu non agatur de re spirituali vel Ecclesiastica, vel quæ

peccatum continet, putarem in hac differentia juris utriusque, jus civile in suo foro & jus Canonikum in ditionibus Romanæ Ecclesiæ servandum esse; quamvis à distinctione illa Doctorum non temerè recedendum sit, eòd expediat jura iuribus conciliari, *cap. Cum expediat 29. De elect. lib. 6. l. unica C. De inofficiosis dotib.* ac proinde possit responderi ad *l. Inbemus*, quod dodrans accipiendus sit, detractâ prius Trebellianica.

XXVII. Differentia est in *cap. fin. Ext. De sepulchris*. Ex quo textu tenentur hæreses ex delicto defuncti, licet ad eos nihil ex eodem delicto pervenerit. Idem testatur textus in *cap. In literis 5. Ext. De raptorib.* Quod utriusque adveletur iuri civili, quo hæres ex delicto defuncti conveniri non potest, nisi ubi aliquid ex ejus delicto ad eum pervenit, ne ex delicto defuncti detestetur hæres, *l. unica Cod. Ex delictis defunctor. l. In heredem 5. D. De calumniatorib. Et l. Cum auctorem fundi 52. D. De rei vindic. aut nisi delictum circa contractum admissum sit, cum contractus regulariter natura sua ad hæreses transeant, l. Ex depositi 11. Et l. Ex contractibus 48. D. De obligat. Et action. aut nisi lis ob causam delicti antea contestata fuerit cum defuncto, *d. l. unica. Et § non autem omnes Instit. De perpet. Et temporalib. actionibus.* Quia per litis contestationem in iudicio quasi contrahitur, *l. 3. § idem scribit D. De peculio.* Quartus casus est in furto, quoad actionemfurtivam, quæ in hæredem transit, etiam si ad eum nihil pervenerit, *l. Si pro fure 7. § conditio D. De condict. furtiva*, idque ob hujus delicti frequentiam. His quatuor casibus exceptis, hæres ex delicto defuncti non tenetur de jure civili; cum delicta personalia sint, ac proinde etiam pœnæ personales, *l. Sancimus C. De pœnis.* At de jure Canonico indistinctè tenetur hæres ad restitutionem damni à defuncto illati, ut scilicet hæc restitutione facta per hæredem expietur anima defuncti, per textum in *d. cap. In literis*. Et cum hæc res animæ salutem concernat, præferendum est jus Canonikum iuri civili, etiam in seculari foro.*

XXVIII. Differentia est in *c. Cum homines 7. cap. Non est in potestate 22. Et in cap. Tua nobis 26. Ext. De decimis*. Quibus locis integræ solvantur decimæ, non deductis expensis seminis, culturæ, vel laboris; contra textum juris civilis in *l. Si à domino 36. § fin. D. De petis. heredit. in l. Fructus 7. D. Solutio matrim. Et in l. 1. Cod. De fructib. Et litium expensis*. His enim iuribus non intelliguntur fructus nisi deductis impensis, quæ quærendorum, colligendorum, conservandorumque eorum gratia factæ sunt,

Diversum idem statuit jus Canonicum in decimis, quod hanc debeatur Deo in signum universalis dominii, cujus est terra & plenitudo ejus, quamvis in usum Clericorum & pauperum transferantur, *d. c. Tua nobis*, & *cap. Cum non sit Ext. De decimis*. Unde sicut census & tributa non detractis expensis domino temporali solvantur, ita multo magis ipsi Deo, *d. c. Tua nobis* & *d. cap. Cum non sit*. Imò & decimarum solutio censum, & tributa temporalium dominorum præcedere debet propter dominium generale, *d. cap. Cum non sit*.

XXIX. Differentia est in *c. Inter alia 6, Ext. De immunitate Eccles.* quo delinquentes, si ad Ecclesiam confugerint, inde abstrahi non possunt, exceptis publico latrone & nocturno depopulatore agrorum. Diversum est de jure civili, in *§. neque autem homicidii, Novell. 17, de mandatis Principum*. Quo loco hæc immunitas Ecclesiarum tollitur. Si tamen decorem Ecclesie respicias, magis est, ut hac in re sequamur jus Canonicum, omisso Justiniani jure in *d. §. neque autem*, quemadmodum comprobatur Panormit. in *d. cap. Inter alia num. 18*, & communiter testatur receptum esse Covar. *Var. resol. lib. 2, c. 20, n. 3*.

XXX. Differentia est in *c. fin. Ext. Ne Clerici vel monachi lib. 6*, ubi Episcopi & alii Clerici jurisdictionem secularem habentes, ea, que sunt meri imperii, alteri mandare possunt, contra jus civile, quo meri imperii delegatio non admittitur, *l. 1, D. De officio ejus & c. l. Solut 6, D. De officio Procons.* Idem verò in Episcopis aliisque Clericis contra receptum est, ut si sanguinis poenam irrogent, irregularitatem incurrant, alias que poenas à sacris Canonibus statutas, *can. Si quis viduam dist. 30. cap. Clericus 5, c. Sententia 9, Ext. Ne Clerici vel monachi & c.*

XXXI. Est in *c. 2, De sponsalib. juncto cap. De illu 7, De desponsat. impub.* quo alter alteri renuntiare sponsalibus à se contractis non potest, sed requiritur utriusque consensus. Secus verò est de jure civili, *l. 1, C. De sponsalib.*

XXXII. Est in *c. De illis 5, De sponsalib.* ubi propter discessum sponsi in exteras regiones, permittitur sponsæ querere alium maritum. De jure verò civili triennium exigitur, quo abesse necesse est sponsum, *l. 2, C. De repud. licet si præsens esset sponsus, possit ille statim renuntiare sponsalibus per libellum repudii in d. l. 1, Cod. De sponsalib.*

XXXIII. Differentia est in *c. Præterea 12, De sponsalib.* ubi matrimonium prohibetur contrahi ob dictum quavis affinitatis eos sibi invicem affines esse.

Aliter de jure civili, quo unius dicto sive testimonio non creditur, *l. Iurjurandi 8, Cod. De testib.*

XXXIV. In eodem *c. Præterea* differentia est à jure civili. Nam eodem textu ositur affinitas ex illicito concubitu. Idem probatur *cap. 2, Ext. De consang. & affinitate*. De jure verò civili non oritur affinitas nisi ex iustis nuptiis, *l. 4, §. affines D. De grad. & affinit.*

XXXV. Differentia est in *c. Cum locum 4, cum o seq Ext eod. tit. De sponsalib. & in cap. Significavit De eo qui duxit in uxorem*. Ex quibus textibus probatur, matrimonium mera contra etiam ipso jure nullum esse. At de jure civili valet, *l. Si patre 22, D. De nuptiar.* quia coacta voluntas etiam voluntas est, licet per actionem quod merus causa matrimonium rescindatur, *portext. in l. Si mulier 21, D. De eo quod merus causa*.

XXXVI. Differentia est in *c. Cum Apostolica d. tit. De sponsalib.* quo loco matrimonium cum alio contractum valet, licet adhuc pendeat lis super alio matrimonio. Scitavimus enim Titium cum Mævia contraxisse matrimonium, & postea inter ipsos de eodem matrimonio motam fuisse litem ex consanguinitate vel affinitate: Titium verò pendente hac lite inivisse alium matrimonium cum altera, postea verò sententiam divortii inter Titium & Mæviam latam fuisse hæc specie textus in *d. cap. cum Apostolica*, vult posterius matrimonium valere, licet pendente lite cum Mæviam contractum sit, *contra l. 2, h. 3, C. De litigiosis & tit. C. Vi lite pendente & c.*

XXXVII. Differentia est *cap. Præsentia 19, Ext. eod. De sponsalib.* quo mulier, absente marito, quantumque etiam temporis spatium evolutum, alteri nubere non potest, priusquam certum nuntium de mariti morte receperit. Si quidem jure Canonico matrimonium non dissolvitur, nisi morte alterius conjugum, *c. penult. & ult. Ext. De secundis nupt. & l. ad Corinth. 7*, quæ certè mors cum in facto consistat, probanda est, *c. 1, De constitutionib. in 6, De jure verò civili post quinquennium nubere potest, ubi maritus captus est, & incertum, utrum adhuc vivat, l. Vxoribus 6, D. De divort. & Novella 22, §. Sed etiam captivitas* Sin in bello perisse dicatur, post annum servatà tamen formà *Auth. Hodie, Cod. De repudii.*

XXXVIII. Differentia est in *c. Cum apud 23, Ext. eod. tit. De sponsalib.* ubi inquit textus, sufficere ad matrimonium contrahendum eorum consensum, qui contrahunt. Unde consequens est, quòd in matrimonio à filiofamilias contracto necessariò non requiratur consensus parentum, sicut probatur *textus in c. penult. Ext. De raptorib. in c. Per tunc 6, De*

De conditionib. appositis. Contra verò est de jure civili in l. 2. C. De ritu nuptiar. Et it. Institue. De nuptiis in princ. Et quomvis sint, qui nullam differentiam esse velint hac in re inter jus Canonicum & Civile, propter textum in can. Aliter xxx. quest. 7. id tamen temerè dicitur, cum ex eod. can. Aliter, ipsi redarguantur in verbis: Nisi voluntas propria suffragaverit, &c. considerando voculam, nisi, quæ adversativa est præcedentium. Et extat Concilii Trid. anathema in eos, qui existimant matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse, vide, sess. 14. cap. 1. de reform. matrim. Quibus accedit Caroli V. de legatio in Comitibus Augustanis, anno 1548. sub tit. de Sacramento matrimonii §. penult. ubi & eorum sententia improbat, qui adleverant matrimonium absque consensu parentum contractum nullius momenti esse, aut dissolvi posse.

XXXIX. Differentia est in cap. Puberes 3. Ext. De desponsat. impub. quo pubertas ex habitu corporis, non ex annorum numero æstimatur, ut scilicet is pubes sit, qui generare possit, ac proinde tunc matrimonium contrahere. At jure Civili ex annorum numero pubertas colligitur, quæ in masculis accidit 14. ætatis anno impleto, in feminis a quo 12. Rectius verò jus Canonicum, cum hæc ætas juris Civilis præveniri possit, ita ut malitia sive prudentia suppleat ætatem, cap. De illis, & cap. fin. Ext. De desponsat. impub. Refert enim Gregorius, quem citat Glos. in summa xx. quæ. 1. puerum quemdam novem annorum suam nutricem imprægnasse.

XI. Est in cap. 2. Ext. De clandest. desponsat. jundo can. Aliter xxx. q. 5. quibus locis ex mutua cohabitatione maris & femine non præsumitur matrimonium, sed contubernium, stuprum, fornicatio; adeò licet ea habitatio decennalis sit, aut longioris temporis, c. Illud 11. Ext. De præsumptionib. Aliter de jure civili. In libera muliere consuetudine, inquit Modestianus, non concubinatus, sed nuptia intelligenda sunt, si non corpore quantum fecerit, l. 24. D. De ritu nuptiar. Cujus divinitatis ratio hæc est; quòd cum ab Ecclesia certæ solemnitates constitutæ sicut circa matrimonium contrahendum, videlicet ut de nuntiatio in Ecclesia publicè proponatur, cap. 4. De clandestina desponsat. benedictio sacerdotis adhibeatur, &c. de quibus in d. can. Aliter. His omissis Ecclesia in dubio non præsumit pro matrimonio, quòd is, qui contra jus facit, bonâ fide non videatur agere, cap. Qui

contra jura 82. De reg. juru in 6. Neque Ecclesiæ auxilio dignus est, qui in legem Ecclesiæ committit, cap. In audientia 25. Ext. De sent. excommunicat. Et l. Auxilium 38. in fine D. De minorib. Facilius juris civilis præsumptio est, eò quòd jus civile nullas hujusmodi solemnitates contrahendi matrimonii præscripserit, ac proinde nos bona fide agere præsumit. Sed cur non magis jus civile præsumit concubinatum, qui & eo jure permissus est, l. 3. circa fin. De concubinis? Id eò quòd in concubinato testatione opus sit, hoc est, qui mulierem in concubinam habere velit, id eum exprimere oporteat, d. l. 3. Modestianus verò loquitur eo casu, quo dubium est, an in concubinam mulierem quis habet, an in uxorem.

XLI. Differentia est in tit. Ext. De conjugio servor. quo permittitur matrimonium inter servos, vel inter liberum & ancillam, id est, servam, & è contra: Eò quòd, juxta Apostolum Paulum, in Christo neque liber neque servus sit à Sacramento Ecclesiæ submovendus, ad Galat. 3. c. in fin. citatur in c. 1. De conjugio servor. Hinc adversatur textus juris civilis in l. 3. C. De incestu & inutrib. nupt. Et it. Instit. De nuptiis in princ. quia eo jure servi pro mortuis habentur, l. Servitusem D. De reg. juru.

XLII. Differentia est in c. Cum haberet 5. Ext. De eo qui duxit in matrim. Ubi liberi ex damnato concubinato puniuntur à parentibus ali, contra juris civilis tignorem, Authent. Ex complexu C. De incestu & inutrib. nupt. Sed æquitatem Juris Canonici in foro civili sequendam esse tradit Barr. quem refert & sequitur Panor. in d. c. Cum haberet nn. 5. Camera Imperialis videtur secuta esse apud And. Gail. lib. 2. obs. 88. num. 12.

XLIII. Differentia est, quoad gradus cognationis & affinitatis. Nam jus civile primum gradum non collocat inter transversales, sed à secundo gradu incipit, in quo constituit fratrem & sororem, in tertio fratris & sororis filium, & filiam, & sic deinceps, tit. Inst. De gradib. cognat. l. 1. & l. 10. §. primo gradu, D. De gradib. affin. Deinde permittit matrimonium in tertio gradu, id est, inter fratris & sororis filium & filiam, §. duorum Instit. De nuptiis & l. 3. D. De ritu nuptiar. At verò jus Canonicum primum gradum habet, in eoq; constituit fratrem & sororem, in secundo fratris & sororis filium & filiam, & sic subsequenter. Et hoc id eò, quia inter fratrem & sororem est prima causa matrimonii contrahendi per naturam, sicut accidit in initio mundi inter liberos Adami, can. Cum gignitur xxxv.

g. 1. can. *Ad sedem, can. Parentalis xxxv. qu. 5.* Inter hos transversales olim prohibitio erat usque ad septimum gradum, can. *De consanguinitate & c. nulla xxxv. q. 3.* Hodie vero ea usque ad quartum gradum inclusivè contracta est, c. *Non debet Ext. De consang. & affinit.* Jus vero civile in recensendis gradibus potissimum habet rationem successionis hereditariæ, in quo idè incipit à secundo gradu, quod mortuo fratre vel sorore sine liberis, primò omnium ad ejus hereditatem vocatur pater & mater & proinde hi primum gradum successionis constituunt: secundo vocantur frater & soror defuncti, d. l. 10. §. *nam quoties vers. iam De gradib. §. repetitis Inst. De servili cognat.* Idque jure institutionum. Nam ex Novella Justiniani *De heredib. ab intestato venientib.* vocantur primo loco fratres utrimq; defuncto conjuncti simul cum patre ad hereditatem fratris defuncti. Quare autem jus Canonum prohibitionem matrimonii largiorem, quam jus civile introduxerit, vide rationem in d. c. *Cum igitur d. c. Non debet.*

Quo vero ad gradus affinitatis, hi jure civili non extant, quod inter affines nulla hereditaria successio fit, l. *Affinitatis 7. C. Communia de success. s. omib.* Et idè idè quoque inter affines nulla prohibitio matrimonii est, nisi inter eos, qui parentum liberorumque loco sunt, veluti inter privignam & vitricam, inter privignum & novercam. Item inter nurum & socerum, inter generum & socrum, idque reverentiæ causâ, §. *affinitatis Inst. De nuptiis. l. Adoptivis 4. §. nunc videamus D. De ritu nupt.* At de jure Canonico eadem graduum subductio & matrimonii prohibitio est, Nam cum maritus per commixtionem una caro fiat cum uxore sua, consequens est, sororem uxoris esse marito in primo gradu affinitatis, filium vero uxoris, & alio scilicet vito susceptum, vel ex sorore uxoris, esse in 2. gradu, atque ita deinceps. Quod idem observatur inter consanguineos mariti respectu uxoris, can. *Porrò xxxv. qua st. 5. juncto d. c. Non debet Ext. De consanguinit. & affinit.* Nisi quod ex constitutione Concilii Tridentini affinitas, quæ ex fornicatione oritur, secundum gradum non excedat, vide sess. 24. cap. 4. *de reformat. matrim.*

XLIV. Differentia est in cap. *I audabilem 5. Extr. De frigidis & malef.* ubi propter naturalem frigiditatem mariti, quæ scilicet is impeditur fungi officio conjugali, statim si de frigiditate coalter matrimonium dissolvi potest; si dubium sit, triennium expectatur. De jure vero civili indifferenter triennium statutum est, §. *distrahuntur, vers.*

per occasionem Novell. de nuptiis.

XLV. Differentia est in cap. 2. & in fine cap. *penult. Extr. Qui filii sunt legitimi*, quibus locis filii legitimi censentur, qui ex matrimonio publico & bona fide contracto, saltem alterius parentum, nati sunt, etiam si reverà matrimonium inter eos constituerit, Aliud vero est de jure civili, quo hujusmodi filii spurii censentur, l. 3. *C. Solutio matrim.*

XLVI. Differentia est in cap. *Tanta Extr. eod. Qui filii sunt legit.* quo legitimum liberi ex soluta muliere nati per subsequens cum ea matrimonium, nullis etiam intervenientibus instrumentis dotalibus, contra dispositionem juris civilis, quo requiruntur dotalia instrumenta, l. *Cum quis à muliere 10. C. De naturalib. lib. & §. fin. Inst. De nuptiis.*

XLVII. In cap. 1. & cap. 2. *Ext. De divort.* ubi prohibetur matrimonium dissolvi propter eum in mari. At de jure civili contra receptum est, in §. *qui verò plurimas, & §. causas autem Nov. si licet matri & avia &c.* quibus enumerantur crimina ob quæ maritus ab uxore, & è contra uxor à marito potest divertere. Idè vero hac in re sequimur jus Canonicum, quod divortium abrogatum sit per Christum, *Marth. c. 19.*

XLVIII. Differentia est in d. c. *penult. & ult. De secundis nupt.* ubi mulier statim post mortem mariti sui restè nubitaliter. De jure vero civili, non nisi post annum luctus, quo scilicet matrem defunctum lugere compellitur sub infamie pœna, l. 1. §. l. 2. *Cod. De secundis nupt.* Et quia jus Canonicum auctoritate sacre Scripturæ, cum expressè dicat D. Paulus, mulierem mortuo viro suo solutam esse à lege viri sui; idè idè in hac re merito sequimur jus Canonicum, expulso jure Civili. Ceterum quoad alias juris civilis pœnas constitutas in mulierem secundo dubeatam intra annum luctus, veluti, quod secundo viro non possit in dorem dare ultra tertiam bonorum partem, vel etiam in testamento relinquere; item, quod ex testamento mariti vel alterius nihil capere possit jure institutionis, legati vel fidei commissi; item quod amittat omnia lucra nuptialia, quæ habuit à primo marito, de quibus etiam in l. 1. & l. 2. *C. De secundis nupt.* quæ situm est, ad similitudinem hæc pœna abrogata sit per jus Canonicum, in d. cap. *penult. & ult. Extr. De secundis nuptiis.* Quod propius ex illimo ob eandem rationem. De quo latius ibidem Panor. & Did. Covar. *de matrim. in 2. p. cap. 3. §. 59. num. 75.* vide quæ dicam ad d. cap. *penult. & ult.*

XLIX

XLIX. Differentia est in *cap. Cum causam* 8. *cap. seq. Ext. De raptorib.* ubi mulier matrimonii causa abducta non dicitur rapti. Secus de jure civili, quo & in sponsam raptus admittitur & puniatur, *l. unica C. De raptu virginum* Item matrimonium inter raptorem & raptam consistere potest, *d. cap. Cum causam* & *c. seq.* juxta tamen reformationem Concilii Trid. *sess. 24. cap. 6.* de reformatione matrimonii. At de jure civili secus, *d. l. unica* & *Novel. de rapt. mulierib.*

L. Est in *tit. Ext. De usuris*, quo prohibentur usurae At à jure Civili permittuntur, ut videre est *sub tit. D. & C. De usuris.*

LI Differentia est in *cap. 1. cap. 2. c. Conquestus* 8. & *cap. Salubriter* 16 *eod. De usuris*, quibus rebus fructus ex re pignoratata perceptos cogitur creditor imputare in sortem. Aliter de jure civili per actum antichreseos, *l. Si pecuniam* 13. *D. De pignorat. act.* & *l. Si is qui* 11. §. 1. *D. De pignorat.* Quod pactum usurarium est, ut docuit tractatu de usuris.

LII. Est in *cap. 2. Ext. De maledictis*, ubi in blasphemum solemnem poenitentia & poena pecuniaria statuitur. De jure vero civili, si in Deum blasphemia commissa est, ultimum supplicium. *Novel. VI non luxurientur homines.*

LIII Est in *can. Quisquis* §. *similiter* xvii. *quest. 4* quo loco sacrilegium committitur, non solum ubi res sacra è loco sacro, verum etiam si res sacra è loco non sacro, vel non sacra è loco sacro auferitur; secus de jure civili, quo in re non sacra quamvis è loco sacro, sacrilegium non admittitur, sed furtum, *l. Divus* 5. *D. Ad L. Jul. peculatus.*

LIV. Est in *cap. Cum non ab homine* 10. *Ext. De judic.* ubi in Clericos delinquentes regulariter depositio statuitur; aliter in laicos nocentes, ut videre est *sub tit. D. & Cod. De poenis, tum alibi.*

Cetera si quae sunt, colligat Lector, & usum eorum ad superiorem regulam cum limitationibus suis revocet.

HENRICI CANISI

NOVIOMAGI J. C.

SS. CANONUM IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI
Profess. Ordinarii & Primarii,

SVMMA IVRIS CANONICI IN QVATVOR INSTITVTIONVM
LIBROS CONTRACTA.

HENR. CANISIUS

AD LECTOREM.



Abes hinc, benevole Lector, *Summam Juris Canonici*, tertio editam, correctam & restitutam. Quem laborem eò lubentius subivi, quòd intelligebam non solum studiosis juris, sed & Theologiae, hunc conatum meum non ingratum cecidisse. Et certè cum Theologus omnia sua studia ad Ecclesiae utilitatem, & ornamentum referat (nisi de se esse velit, solà contemplatione contentus) non inconsulto facit, quòd & Ecclesiasticas regulas, id est, sacros Canones (quibus Ecclesiae corpus veluti quibusdam vinculis continetur) Theologico studio conjungat.

Habet enim hinc (ni fallor) compendium quoddam, quae ad Sacramentorum Ecclesiasticorum consecrationem & exhibitionem spectant; quae, quòve ritu singula singulis administranda sunt. Nam licet Sacramentorum usus ex Theologiae fontibus dimanare; tamen quibus, quo loco, & tempore, & modo applicanda vel conferenda sunt, uberius & explicatius tradunt sacri Canones: adeò, quòd non parum inter sit Theologi, hae plenius ex jure Canonum hausisse.

Jam quòd ad reliquas Ecclesiasticas functiones attinet; habet hinc, quae potissimum concernunt officium Ordinarii, id est, Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii, aliorumque Clerico-

rum: item quæ sit auctoritas Legatorum Sedis Apostolicæ, quæ potestas Delegatorum, Vicariorum, Coadjutorum, Capituli sede vacante: item quæ ad Monachos, aliosque Regulares pertinent: demum quo vitæ genere, doctrinâ, morumque innocentia & integritate instructi esse debeant Clerici, in sortem Domini vocati. Quæ omnia ex variis juris Ecclesiastici locis conquisita, in certos & distinctos titulos hic breviter coniecimus. Quæ nec Theologum ignorare convenit, si professionem suam integrè & cum dignitate in Ecclesia tueri velit.

Porro de Prælatorum electione, postulatione, confirmatione, consecratione; de beneficiorum Ecclesiasticorum collatione, usu & administratione; de decimis; de jure patronatus; de immunitate & sepultura Ecclesiastica; de voto & voti mutatione sive redemptione; de excommunicatione, suspensione, interdictione, irregularitate, & id genus aliis, quæ Ecclesiastici juris sunt, si quaestio aut mentio incidat, quid de his differet Theologus, si Canonum scientiâ destitutus sit?

Quid si ad animarum curam adscitas Theologus rogetur de impedimento matrimonii; aut de conventionem usuraria aut simoniaca; an votum sive juramentum præstitum servandum sit; ipse verò aut nihil, aut perperam respondeat imperitus Canonum, nōne hic cum ignominia & pernicie aliorum in Ecclesia versatur? Sed remittet, inquit, hujusmodi causas ad Jureconsultos. Sed si ad manum Jureconsultus non sit, aut non nisi lucello responsum sit daturus, quid faciet miser? quâ ratione se explicabit? Quò se vertet Parochus, si auditâ confessione pœnitentis, hæreat suspitione motus Ecclesiasticæ censuræ, utrum à se absolvendus, an ad Superiorem remittendus sit pœnitens? Surgat Parochus, respondebis, consulturus Canonum peritum. Interim relictus pœnitens augetur animo, dubius expectans Parochi absolutionem; quàm si fortè reversus Parochus non adferat, tunc majorè perturbatione corripitur. Quod sanè incommodum facile evitat Parochus aut alius quispiam, qui confessioni præest, si pœnitentem doceat ex præscripto sacrorum Canonum a se absolvi non posse, ac proinde salubri consilio adhibito, ei persuadeat, ut Superiorem pro absolutione adeat.

Ut hinc disertè constitutum sit à Cælestino Papa, *can. Nulli, dist. 38, Nulli*, inquit, *Sacerdotum licet Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Parrum possit regulis obviare.* Et quod graviter interminatur Gregorius, *can. Hæc consona, dist. 2. Hæc consona*, inquit, *sanctis Patribus diffinitione sancimus, ut qui sacris necit obedire Canonibus; nec sacris administrare, nec communionem capere, sit dignus altarium.* Quare etiam generaliter sancitum est in Concilio Meldensi, *extat in cap. 1. Ext. De constitut. ut Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate decauset.* Rem igitur necessariam agit Theologia Studiosus, cum & sacrorum Canonum cognitionem suæ professioni conjungit, eam aliquando in Ecclesiæ usum & ornamentum traducturus.

De Studio juris Civilis nulla apud me dubitatio est, quin hi necessariam existiment juris Canonici cum jure Civili conjunctionem. Quod vel ex eo planè conjicio, quòd hætenus me viginti annos jus Canonicum publicè in hac Academia profitentem magno concursu & diligentia audierint & exceperint; rationibus non levibus adducti? Quod scilicet, exploratum habeant, quæ à jure Civili de personis & rebus Ecclesiasticis prodita sunt, ea jam pridem antiquata & ad Ecclesiasticas constitutiones rejecta esse, *cap. Ecclesia S. Mariæ, 10. Ext. De const. 2. can. 1. dist. 96.* Item quæ de matrimonio contrahendo, vel distrahendo, vano conatu constituit jus Civile, ea similiter redacta esse ad regulas sacrorum Canonum, *e. 1. in fine De consang. & aff. n. cap. 12. De excess. prelat. cap. 4. & 5. Ext. De secund. nupt. Concil. Trid. Sess. 24. can. 12.* Neque ignorant, concubinarum, uluras, præscriptionem cum mala fide, id est, cum conscientia rei alienæ, à jure Civili admissa, ad normam juris Canonici revocata esse, *cap. fin. in verb. cum generaliter Ext. De præscript. can. 4. dist. 10.* Hæc etenim lacunæ juris Civilis Christiano homine indignæ, necessariò restituuntur ex iure Canonico; quemadmodum & illud, quod contra omnem pietatis rationem à Justiniano Imp. constitutum est, de non alendis liberis à parentibus, ex incestu vel aliàs à legibus damnato concubitu natis, *§. fin. Nov. l. 80. Quib. modis naturales eff. sui, Auth. Ex complexu C. De incest. & inutil. nupt.* Et quod non minore impietatem redolet, dum comprobata una cum adultero impunè & sine scelere occidere, *l. Patri 20. & l. Quod ait D. Ad L. Iuliam de adult. Utrumque enim per ius Canonicum summâ æquitate explosum est: illud ex *cap. Cum haberet 5. De eo qui duxit ad matrim. & ibi Panorm. num. 5. Andr. Gail lib. 2. obs. 88. num. 4.* alterum verò ex *can. 5. & can. 9. xxxii. quest. 1. In his igitur aliisque similibus, quæ vel iuri divino, vel naturali refragantur, iustus aditac**

aditur ius Canonicum. *d. cap. fin. ad exemplum iuris Prætorii, quod & in multis articulis rigorem iuris Civilis naturali quadam æquitate artemperavit. Quamvis aliàs non ignoremus, Justinianum præclarè & religiosè de sacris Canonibus sensitisse Quod vel indicat eiusdem Novel. 131. de Ecclesiasticis titulis § 1. ubi his verbis edicit: Sancimus igitur, vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt aut firmatæ, Nicæno, scilicet, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi. Prædictarum enim quatuor synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus.*

Accedat, quod ex iuris Canonici lectione id commodi (quod nec minimum censei debet) reportent iuris Civilis studiosi, quod ea, quæ legibus Civilibus comprehensa non sunt, aut minus explicata, rectè mutuentur ex iure Canonico, sicut & è diverso rectè sit à studiosis iuris Canonici, iuxta illud Lucii III. *cap. 1. Exi. De novi oper. nuntiat* scholæ usu & praxi forensi receptum: *Quia verò, inquit, sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Ut & hinc non immeritò in hac Summa nostra, legum Civilium passim meminerimus. Idem factitatum videmus ab Hostiensis in Summa sua: à quo ramen longè distamus: quod is non tam Summam iuris Canonici, quam paratitla, id est, summaria in singulos Decretalium Gregorii IX. titulos (quæ & instar iusti commentarii sunt) perscripserit: nos verò totam quasi materiam iuris Canonici variis locis dispersam, in quatuor Iustit. libros, distinctis capitibus, cõegerimus: ita quidem, ut & ea simul complecteremur, quæ in lib. 6. Decretal. Bonifacii VIII. in Clementinis & in Extravag. tum etiam in Concilio Trid. extarent; quantum, scilicet, postulabat iustituti operis ratio. Quæ ab Hostiensis omiissa sunt, utpote qui Summam suam, antequam Bonifacii VIII. constitutiones promulgatæ essent, & conscripserit, & sic mutilam eam nobis reliquit.

Itaque, benevole Lector, hunc laborem nostrum accipe & candidè interpretare, qui in utilitatem tuam susceptus, iam iterum in lucem emittitur.

O R D O
TITVLORVM
LIBRI I.

- | | |
|--|---|
| <p>Tit. I. De inscriptione & notione iuris Canonici.</p> <p>II. De Juris scripti partibus.</p> <p>III. De iuris non scripti partibus, id est, de traditione & consuetudine.</p> <p>IV. De iure personarum.</p> <p>V. De ordinibus & gradibus Clericorum.</p> <p>VI. Qui ordines Ecclesiasticos conferant, & de litteris dimissoriis.</p> <p>VII. Quibus Ecclesiastici ordines rectè conferantur.</p> <p>VIII. De temporibus ordinationum & de ætate ordinandorum.</p> <p>IX. De Clerico furtivè, vel per saltum promotò.</p> <p>X. De officiis Clericorum.</p> <p>XI. De electione.</p> <p>XII. De postulatione.</p> <p>XIII. De confirmatione.</p> <p>XIV. De consecratione, Episcopi & usu pallii,</p> | <p>XV. De translatione Episcopi, & renuntiatione.</p> <p>XVI. De officio & potestate Ordinarii.</p> <p>XVII. De officio Legati.</p> <p>XVIII. De officio & potestate Judicis delegati.</p> <p>XIX. De officio Archidiaconi.</p> <p>XX. De officio Archipresbyteri.</p> <p>XXI. De officio Primicerii, Sacristæ & Custodis.</p> <p>XXII. De officio Coadiutoris.</p> <p>XXIII. De officio Capituli Sede vacante, & de Administratore & Oeconomo.</p> <p>XXV. De Regularibus & Monachis.</p> <p>XXVI. De vita & honestate Clericorum.</p> |
|--|---|

LIBRI II.

- I. De rerum divisione.
- II. De Sacramentis in genere.
- III. De Baptismo.

[IV. De